





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**DIARRHOEAE**  
IN FEBRIBVS EXANTHEMATICIS  
SALVTE ET NOXA

---

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIS

ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

**D. ANDREA ELIA BVCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIJ INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MED. SENIORE ET H. T. DECANO, REGIOR. ALVMN. EPHORO,  
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRAD V DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

DIE XVI. OCTOBRIS, A. R. S. C<sup>I</sup>C<sup>II</sup>CC<sup>L</sup>XV.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVLICE DEFENDET

A V C T O R

**IOANNES IACOBVS BENDIXEN**

TVNDERA - SLESVICENSIS.

---

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVÆ.



DIESER TATIG INAGURATIS MEDICO

DIARRHOEAE  
IN LIBRIBUS ET ENTHYMATICIS  
SALVAT TE NOXA

DIVINI NIVIUS AVSTRIOS

CONSERVAT CAVITATIS CAVITATIS MENDICRUM

CAVE

D. ANTRAE ETI HACNERO

TOTIUS TATUM PERSICAE RUMA CONFLUENS INTUS  
MEDICINA ET THYMO ET NATURAE MOTUS, PLANTAE ODISCIPIO  
EGAT, MTE. SINDIC ET ILL. DIOCAZO REJOR ALIAVM THERO  
THERAPIA ADOV MAT. GARIO, THERAPIE ET QVIETI FELAT. CAVARNO  
THERAPIA DOCT. VEN. THERAPIE ET QUITI. THERAPIE ET QUITI

PRO EADA DOCTORIS

SALVATORI MEDICINA HONORAVIT ET PRAECEPS

ET THERAPIA HONORAVIT ET PRAECEPS



### §. I.

*Definitio febris exanthematicae & diarrhoeae.*



Maculae tumoresue minoris ambitus, in cute prouenientes, *exanthemata* seu *efflorescentiae* Medicis dicuntur. Febris acuta, cuius despumationis effectus exantheme est, *exanthematica* nuncupatur *febris*. Haec tot diversa sortita est nomina, quot dantur exanthemata, cum ea connexa. Vnde in *variolam*, *morbillosam*, *purpuraceam*, *petechiam*, *scarlatinam* & *pestilentiale* abit, quarum accuratior descriptio Pathologis relinquenda. Quando autem excretio aluina spontanea naturali frequentior contingit, *diarrhoeam* subortam esse intelligimus. Caussae, symptomata & materia excreta, varias diarrhoearum species constituant, ex Pathologia facile hauriendas.

A 2

§. II.

4 De Diarrhoeae in febribus exanthematicis

§ II.

Diarrhoea possibile est febrium exanthematicarum symptoma.

Non immerito equidem Illustr. b. m. IVNCKERVS in *The- rap. spec. Tab. LXXV.* pag 652. de scarlatina aliisque febribus exanthematicis affirmauit, aluum ordinarie esse clausam, eamque sponte demum sub finem morbi aperiri. Turgent certa Observatorum monumenta testimoniis, quae hanc veritatem comprobant, atque id ita, vt de adstricta & immorigera aegrorum, febribus exanthematicis decumbentium, alio plures proptermodum querelas, quam de diarrhoea legas. Non ita tamen haec accipi velim, ac si febrium exanthematicarum natura tantum a diarrhoeis abhorreat, vt harum, tanquam symptomatis cuiusdam, accessum plane renuat. Absit! Voto saepe frequentius ad excitandas diarrhoeas proclives sunt, certiusque eas adhuc producerent, nisi sub exanthematicum eruptione, benigno naturae conamine, versus cutim vergeant humores, quo fit, vt, huic viae natura insidente, atque depletis quodammodo partibus interioribus, adstricta magis, quam laxa euadat alius. Caussam symptomaticae huius diarrhoeae natura febrium exanthematicarum vel leuiter confiderata ostendit. Memor nempe eorum, quae experientia, aspectus & phaenomena exanthematicum, indoles harum febrium acuta atque contagiosa, effectus miasmatis in cute & interioribus, sectiones demum cadauerum declarant, caussam istarum febrium in subtili veneno animali quaerendam esse, non recusabis. Neque minus, iisdem phaenomenis coactus, cedes, venenum illud, irritando, resoluendo, inflammando fluidaque in putredinem abripiendo, tyrannidem suam exsere. Febriles morbos, inquit clariss. TISSOR (*Dissert. de Febre bilios.* Cap. I. pag. 14.), bene multos obseruauit, perplures euolui accuratas febrium historias, & quo plus circa rem intendi animum,

mum, eo magis persuasum habui, omnes primarias febres, ne  
una quidem excepta, esse intermitentes, inflammatorias, pu-  
tridas, aut ex illis complicatas. Neque poteris clariss. Viro,  
a partium studio liber, consensum denegare. Quodsi autem  
vera edixit: erunt febres exanthematicae putridarum catalo-  
go certo certius inferenda. Intermitentes non esse, vltro  
pater. Ad inflammatorias quidem proprius accedunt, quod  
exanthematum natura in peste, variolis, morbillis, scarlatina,  
purpura, comprobant. His tamen non obstantibus longissime  
a simplici febre inflammatoria illas recedere, variolarum exem-  
plo, ad reliquas febrium exanthematicarum species sine ope-  
ra adplicando, docuit celeb. TRALLES, in Diff. de Method. med.  
*Variol. bacillus cognita suepe insuffic. p. 82. seq.* Erunt ergo,  
quas diximus, febres vere putridae, quarum maior effectus est  
minor inflammatio. Habeant itaque putridi sequelas. Pu-  
tridi vero est, irritare grauius, cuius rei testimonium febris et  
iam ipsa a purrido excitata suppeditat. Quid ea propter, illo  
ad intestinorum tubum delapso, productum iri credis? Spasmi  
certe, dolores, constrictiones, tormina, motus peristaltici ex-  
acerbationes, vomitus, vel diarrhoeae, vel aliud constipata ori-  
entur. Quam ob rem ad accidentalia febrium exanthematicarum  
symptomata pertinebit diarrhoea, cuius vero caussae  
vt eo melius perspiciantur, generaliori adductae speciales ad-  
dere iuuabit.

## §. III.

*Caussae huius Diarrhoeae speciales. Prima.*

Quamquam, vt monui, humorum impetus in febribus  
exanthematicis, generatim consideratis, magis ad peripheriam  
ruit, indeque diarrhoea symptomatica praepeditur: incident  
ramen subinde caussae, quae miasmaris ad intestina descensum  
multo magis adiuuant, quam vt aliud nimis laxa dicto obsta-

6 *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

culo retineri queat. Quae caussae, cum caussas diarrhoeae febrium exanthematicarum symptomaticae speciales declarant, nostram merentur attentionem. Plures autem esse, non ynam, exactior harum febrium consideratio docet. *Prima* itaque in totius massae serosae inquinamento delitescit. Venenum nempe, quod febres exanthematicas suscitat, virtute assimilandi gaudet. Haustum ergo a corpore, quod, quacumque demum ex causa, latius serpenti multiplicationi veneni fauer, vel, fractis viribus vitalibus, citorius eius expulsione impar est, mirum in modum sese propagabit tantumque multiplicabit, ut rotum humorum oceanum inquinet. Metuens hunc statum in Variolis SYDENHAMVS, nimium calorem arcet, ne, ut dicit, *nimirum copiosae materiae variolosae assimilatio promoueat*; vid. Tr. de Febre putr. variol. confluent. superuen. in Oper. omni. p.m. 376. Quodsi vero descriptus status reipsa obueniat, fluida etiam ad intestina confluentia, miasmatis afflatu conspurcata sunt necesse est. Vnde alui fluxus possibiles (§. anteced.). Pulcre hinc Dav. HAMILTON, in Tr. de Febre miliari, diarrhoeae symptomaticae caussam euoluens, dixit: *Sue numero satis est materiae, tam in sedes, quam in pustulas miliares distribuendae.* Eadem ratione diarrhoeam infantum, in variolis confluentibus, SYDENHAMVS diuidicare videtur: *Male locata, inquiens, (Oper omni. p. 94.) imprudentium aliquot muliercularum opera, in sistenda burusmodi diarrhoea, multa infantum millia letho dedit, dum falso secum reputant, diarrhoeam par in hac Variolarum specie, atque in distincta, discrimen apportare; nesciae scilicet, illic tantum officere diarrhoeam, ubi per pustulas evacuatio; hic vero naturae opus illam esse, morbo effugium querentis.* Neque certe, qui statum aegri sub secundaria Variolarum confluentium febre aequa mente ponderat, caussam diarrhoeae, tunc plus vice simplici obseruatae, in purulen-

rulenta materia absorpta, totumque ferme sanguinem inundante, quaerendam esse negabit.

## §. IV.

## Diarrhoeae in febribus exanthematicis symptomaticae causa secunda.

*Secunda symptomaticae eiusmodi diarrhoeae causa in miasmatis natura later.* Haec quamvis adeo abstrusa sit, ut nemini mortalium sufficienter innotuerit, tantum tamen experientia duce intelligitur, vt, miasmata varias corporis humani regiones, quas prae ceteris occupant, amare, cognitum habeamus. Sic Scorbutus sibi vindicat gingiuas, malum vero venereum partes genitales, locaque magis serosa. Quam diuerse porro sunt partes, quas venena alia, animalia, mineralia, vegetabilia inuadunt? Nonne itaque dabuntur miasmata in eorum multitudine, quibus febres exanthematicas debemus, quae non cutis tantum peripheriam, sed intestinorum quoque canalem infestant? Nonne tunc diarrhoea possibilis? Non deſtituimur pluribus exemplis. Variolae, Morbilli & Scarlatina sunt in promptu. Notum est, variolas subinde nares, fauces, os internum, linguam occupare. *Vid Illuſtr. PRAESIDIS Fund. Patholog. Spec. p. 60. §. XVI.* Faucium equidem aliarumque partium internarum pustulas inter res rarissimas reponit clariss. TISSOT, atque ex parte plane negat (*Vid. Epift. de Variol. Apopl. & Hydrope, p. 69. 70.*); amice tamen errorem exprobrat celeberr. TRALLES in Epift. apologet. *de Meth. medendi SYDENHAMI &c. p. 45.* Quicquid interim sit, compertum habemus nihilominus, diathesin variolosam hisce etiam partibus inimicam esse, quod ne TISSOTVS quidem l. c. negauit. Numquid vero censes, in iisdem tantum subsistere virus variolosum, ad reliquum vero primarum viarum tractum non verge re?

8      *De Diarrhoeae in febris exanthematicis*

re? Hunc certe nonnunquam obsideri, structura plane eadem, nexus indiuulfus cum adductis, intimus consensus, quem cum fauibus & interna oris membrana habet, venenum demum variolosum, ad irritandas partes saliuales omnes, docente id saliuatione, maxime aptum, suadent, imo euincunt. Ex hac itaque tunc cauſa poterit Variolis symptomatica superuenire diarrhoea. Testatur id quoque Philipp. de VIOLANTE, in Tr. physic. mechan. de Variolis & Morbillis §.L. Dixerat, *materiam variolosam non cutanearum tantum glandularum operari, verum etiam fere ubique, ubi glandulae reperiuntur.* Addit deinde incommoda, quae abine in variis partibus encuntur, atque demum, *de intestinorum glandulis,* inquit, *superueniens diarrhoea satis signi dat.* Idem forsitan indicare voluit immortalis BOERHAAVE, dum Aphorism. §.1396. vbi de eruptionis Variolarum stadio loquitur, dolorem fauicium, anginam, diarrhoeam & dysenteriam coniungit. Quod de variolis dixi, ad morbillos & scarlatinam facile applicatur. Morbillos eadem, quae variolae solent, loca affligere, docent SYDENHAMVS l. c. pag. 120. Illustr. PRAESES l. c. pag. 63. §.III. MEAD Tract. de Variol. & Morbill. Edit. germ. p. 94. de VIOLANTE l. c. p. 147. §.VI. & alii plures. Dubitare ergo non possumus, quin diarrhoea, in morbillis adeo sollemnis, ex hac cauſa symptomatica proueniat. Scarlatina a morbillis hac in re vix abludit; similia enim exhibet phaenomena eademque loca occupat. Conf. Magnif. & Illustr. BOEHMERTI Diss. de Febre scarlat. epidemice bacterius graffante, §§. I. III. XVII. & clariss. PLENCIZ Oper. med. phys. Tract. III. Quamquam itaque rarius in scarlatina diarrhoea, quam vomitus, obseruatur: utriusque tamen cauſa commode ex affectis, ab acri scarlatino, ventriculo & intestinis deducitur.

§. V.



## §. V.

*Diarrhoeae in febribus exanthematicis Symptomaticae  
causa tercia.*

Huic *tertia* nunc diarrhoeae, febribus exanthematicis symptomaticce accedentis, addenda est *causa*, quam in metastasi quasi miasmati, ad intestina facta, reponendam esse censeo. Quis illa peracta, de diarrhoeae possibilitate dubitabit? Occurrere autem eiusmodi in febribus exanthematicis metastasim, multa nos docent. Nihil iam dicam de notissimo illo casu, vbi, retropulso a peripheria exanthematum agmine, pestifera ad intestina delabitur materia, malo fere semper omne oriundam diarrhoeam producens. Alia afferam. Notum est, in febribus exanthematicis nonnunquam contingere, ut virium vitalium robur fractum, separatam a sanguine materiam ad cutis ambitum ferre nequeat, aut saltim tardius promoueat. Vid. SYDENHAM l.c. p. 287. qui ebullitionem torpentem notat. MEAD l.c. p. 65. 66. HUXHAM *Opera physic. med. Tom. I.* p. 121. seqq. TISSOT l.c. p. 33. seqq. TRALLEZ de *Method. medend. Variol. batzenus cogn.* &c. §. 14. pag. 79. *Illust. b.m. ELLERI Observat. de cognosc. & cur. morb. praesertim acut. Sect. VI.* pag. 119. 136. aliisque. Nonnumquam etiam rigor in externis, aut calor nimius, ebullitionem sanguinis nimium intendens, congruam exanthematum eruptionem impedit. Conf. HAMILTON *de Febre miliarie* eo loco, quo symptomatum causas explicat, & SYDENHAM l.c. pag. 90. In his aut simili casu venenosa materies, cute nimium aliunde male defensa, versus eas facile ruer partes, quae cum externa corporis peripheria consentiunt. Quis vero intestinorum cum cute nexus ignorat? Structura & secretionis similitudo eundem satis declarant. Quam facile ergo ex hac causa diarrhoea symptomatica! Hinc HAMILTON diarrhoeam in miliarie febre deducit, & MEAD in Variolis infan-

B

rum

10. *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

tum explicat (l. cit.). Recte etiam SYDENHAMVS l. c. pag. 91. de diarrhoea, variolarum confluentium eruptionem praecedente, affirmat, *eam oriri ab halitibus inflammatoriis, vel humoribus a massa sanguinis, per primos dies exagitati atque aestuantis, in intestina exoneratis.* IDEM l. c. pag. 99. dicit, diarrhoeam in febre, quam ibi descripsit, variolosa explicans, *quod soepissime a radiis inflammatoriis, per arterias mesentericas in intestina delatis, atque eadem ad excretionem sollicitantibus, exoriatur.* Néque minus eam *radiis inflammatoriis, in intestina inuersis, ortum suum debere enuntiat l. c. pag. 103.* Dysenteria de nouo comprobat, quod diarrhoea nonnunquam a facta febris exanthematicae ad intestina metastasi proficisci queat. Non inquiram hoc loco, an Dysenteria certo certius sit semper febris *ad intestina introuersa* (SYDENHAM l. c. p. III.)? Contrarium multa suadent. Id tamen satis euictum est, quod saepe nulla alia ratione concipi queat. Neminem hoc fugere potest, qui SYDENHAM scripta legit, & considerat, variolas introueras nonnumquam dysenteriae caussas existisse, prout idem Vir immortalis docet. Nenne itaque dysenteria est exemplum diarrhoeae a febre exanthematica per metastasis prodetae? Ad id credendum nos non priora tantum compellunt, sed & obseruatio, qua edocemur, a raptu veneni dysenterici ad fanguinem exanthematibus nihil frequentius enasci. Satis iam de diarrhoeae huius symptomaticae ortu locutus sum. Sequatur alia, consideratione nostra aequae digna.

§. VI.  
*Diarrhoea accessoria.*

Febres exanthematicae, vtpote morbi magis epidemici, quaecunque subiecta inuadere possunt. Conf. b. IVNCKERVS l. c. Tab. LXXI. pag. 578. IV. HVXHAM l. c. Tom. II. pag. 97.  
Pote-

Poterunt itaque ea quoque adfigere, quae ex quacunque alia causa diarrhoeae obnoxia sunt. Acceder tunc diarrhoea quidem, proprie tamen a morbi natura minime pendens, quam ideo *accessoriam* nuncupo. Salus & noxa diarrhoearum in febribus exanthematicis neutiquam intelligi possunt, nisi huius etiam diarrhoeae praemittatur consideratio. Iuuabit itaque, caussas illius speciales & palmarias suppeditare. *Cruditates in primis viis collectae* primas omnino partes tenent. Satis enim notum est, diarrhoeam saepissime ex hoc fonte promanare. In febribus autem exanthematicis hisce conditionibus nihil fere reperitur frequentius. Praeter id nimirum, quod generatum nimis facile oriantur, variae adhuc accedunt caussae, quae earrundem ortum in febribus exanthematicis facilitant. Nam prima caussa febrium exanthematicarum proprius a putrido distat (§. II.). Bilis autem ad intestina adfluens aequa facile putreficit. Nonne hinc frequentissime corrumpi debet? Conf. *Per illustr. van SWIETEN Comment. in Aphorism. Boerhaau. Tom. I. §. 84. pag. 119.* Secunda caussa harum febrium occasionalis aut disponens haud raro in transpirationis neglectu & suppressione later. Vid. *Illustr. PRAESIDIS Fundam. Pathol. general. Sect. III. Cap. V. §. VIII. & Pathol. special. Sect. II. Cap. XI. §. VIII.* Hinc vero corruptorum humorum ad intestina descensus efficietur, quem cruditas presso pede insequitur. *Nihil magis,* inquit *Illustr. b. m. HOFFMANNVS,* *bilem vitiat, eamque impuram & salibus causticis refertam reddit, quam solennis per superficiem corporis prohibita euacuatio.* Dissert. de Bile medicina & veneno corporis, Opusc. patholog. pract. insert. §. 31. quo loco etiam cruditatum effectus assert. Tertio quoque contagium potu, cibis, saliua postmodum deglutita, communicari potest, quibus fluida, primis viis inhaerentia, inquinatur. Conf. *SCHREIBERI Observat. & cogitat. de Pestil. &c.*

pag. 12. Consect. 13. Infantes quoque hic pertinent, qui, Variolis laborantes, adfluentem copiosius sалиuam deglutiunt, male primis viis consulfentes. Vid. Illuſtr. LVDWIGI DIffert. de Crifibus Variol. accessor. §. XV. Ab ipsis nunc cauſis in exanthematicis producτae crudirates ſatis quoque frequenter diarrhoeae accessoriae originem dant. SCHREIBERVS l.c. Obſeru. X. recenſet ſymptomata Pestis, interque alia haec addit: *Nauſea, quandoque vomitus bilioſorum, atro-virideſcentium & foetidorum; qui vero non vomuerunt, illi ſimilia deiecerunt.* Ill. LVDWIGIVS l. c. §. XVI. diarrhoeam in principio variolarum a ſaburra in primis viis collecta prouenire affirmat; §. vero antecedenti a ſaliua deglutiita diarrhoeam in variolis contingere poſſe dicit, ſaliuationis mercurialis exemplo ſententiam comprobans. Clariff. TISSOR, in Epift. de Variol. Apopl. & Hydrope, pag. 76. & 77. ſigna recenſet Cacochyliae, in pueris variolosis ſaeppe praesentis, interque haec n. 4. occurruunt *foetor fecum & ſaeppe diarrhoea foetida, ſine depreſſione puftularum.* Sic quoque BAGLIVIVS Oper. omn. p. 90. ita ſcribit: *Cum diarrhoeis quotidie ſanatos video pueros variolofos, quia per eas euacuat morbosus primarum viarum fomes, pueris familiaris &c.* Plura teſtimonia, paſſim obuia, omitto. Alia accessoriae huius diarrhoeae cauſa haeret in diſpoſitione ſubiectorum ad eandem, ſiue ante morbum iam praefente, ſiue ſub eodem nata. Cauſa diarrhoeae tunc oriundae vltro pater; aſt ſaepius etiam obſeruationibus innotescit. Quam facile enim adductae diarrhoeae, aut catharticorum abuſus, ſub morbo ipſo hanc, quam di- co, diarrhoeam accessoriam prouocant? Nullum dubium eſt, ait Illuſtr. LVDWIGIVS, l.c. §. XV. ideo quoque diarrhoeam ſae- piſſime cum Variolis eſſe, quoniam infantes crebrinꝫ hoc morbo laborant. Sic & PECHLINVS (Libr. II. Obſeru. 16.) a pur- gante adhibito diarrhoeas grauiſſimas ortas exhibet. Nonne in

in istis casibus dispositio aegri diarrhoeae accessoriae fauer? Reliquae huius caussae palmariae saltem ad duas recensitas, ut arbitror, satis apte referri possunt.

**§. VII.**

*Diarrhoea febrium exanthematicarum modo salutem, modo  
noxam indicare debet.*

Diarrhoea febrium exanthematicarum, siue symptomatica fuerit, siue accessoria, eiusmodi procul dubio erit conditionis, vt, relata ad exanthematicas febres, aut salutem, aut noxam portendant. Non solum enim de variis febribus exanthematicarum mutationibus certiores nos reddit (§§. III. IV. V.), sed etiam, cum intestinorum morbus sit, tam horum, quam conscientium partium statum declarare potest, quod, quam utile sit in formanda febrium exanthematicarum prognosi, meam non postular demonstrationem. Dum autem necessariam hanc de salute & noxa diarrhoearum in febribus exanthematicis suscipimus indagationem, opus est, ne illotis, quod aiunt, manibus rem adgrediamur, ut quaestionem prius moueamus: annon generalia quaedam dentur fundamenta, e quibus salus & noxa eiusmodi diarrhoearum diiudicari possit? A solutione enim huius quaestione absoluta omne id pender, quod a nobis dicendum est.

**§. VIII.**

*Fundamenta huius tractationis generalia.*

Quodsi diarrhoea, in febribus exanthematicis comparent, sibi tantum relieta, considerari, aut in se tantum spectata diiudicari posset: de salute eius & noxa facilis esset responsio. Oritur enim a cruditatibus, quacunque demum ex caussa in primas vias delatis (§§. III. IV.). Est itaque naturae molimen, quo illa viratur, ut noxa futura arceatur. Eiusmodi autem molimen

14      *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

nunquam est nocuum, nisi aut excedat, aut deficiat, aut male dirigatur. Quam facile itaque de eiusmodi diarrhoeae salute & noxa iudicium ferre possemus, si eandem in febribus exanthematicis ab harum consortio separare liceret? Quum vero separatio talis mente quidem concipi, minime autem actu perfici queat; nos, de salute & noxa diarrhoearum in febribus exanthematicis dicturos, ad has quoque respicere oportet. Atqui huiusmodi diarrhoea morbus semper est minor illo, quem comitatur, febre nempe exanthematica, cuius tamen mutaciones aut infert, aut supponit, aut innuit (§. anteced.). Quare iam totius nostrae tractationis cardo in his vertitur; an diarrhoea in febribus exanthematicis detur, quae bonum malumque earum exitum innuat? quaenam haec sit? & quibus signis cognoscatur? Diarrhoea itaque nobis hic erit *salutaris*, quae bonum & exoptatum, *nocua* autem, quae malum tristemque praesagit febris exanthematicae euentum. Quae ergo diarrhoea aut a caussa minus salutarem febris exanthematicae exitum indicante producitur, aut salutari istius solutioni repugnat, illa vere est nocua; quae vero non solum neutrum horum inuoluit, sed etiam salutarem febrium saepe nominatarum solutionem facilitat & sustentat, eam salutarem vocandam esse censeo. Haec ergo cum ita sint, omnia, de salute & noxa istius diarrhoeae afferenda, ad salutarem febris cum ea conexae exanthematicae solutionem redeunt. Quam ob rem nunc memores nos esse oportet eorum, quae ad eamdem requiruntur. Quatuor autem sunt generatim momenta, quae spem faciunt, fore, ut aeger febrem exanthematicam superet: Integritas nempe viscerum; veneni minor copia; exanthematum debita in cute eruptio & permanfio; bonus demum lenioris transpirationis successus. Haec omnia coniuncta nos de optimo & moderato vis vitalis robore, quo morbos, hostes

hostes nostros, prosternimus, certiores reddunt, docentque, morbum non adeo esse magnum, ut nostram ipsi resistentem vim eludat. Quodsi autem vel unicum deficiat, res periculi est plena, quod paucis nunc ostendam.

## §. IX.

## Continuatio huius materiae.

Laesio viscerum multiplici ex causa salutari febrium exanthematicarum solutioni aduersatur. Attrahit venenum; vim vitalem debilitat aut in contraria rapit; turbat exanthesma & transpirationem. Quanto itaque periculo in eiusmodi febribus erit sifata! *Bona respiratio*, inquit l. c. BAGLIVIUS, in variolis est unum ex optimis signis, licet alia sint grauior, ut centies obseruauit; cum bona respiratione in variolis semper bene spera; non est ita pernicioſa diarrhoea in variolis, quantum pernicioſa est difficultas respiratio. Illustr. PRAESES dicit de Peste: *Interiora ubi exuruntur quasi, externa vero frigent, insigne periculum portenditur*. Fundam. Semiol. Part. II. Sect. I. Cap. XIV. §. VIII. Illa vero signa sunt gangraenae & subssecuturi in interioribus sphaceli (HIPPOCRATES Aphor. XLVIII. Sect. IV.); hinc viscerum laesioris. IDEM l. cit. Cap. IX. §. V. *maius semper, in febre purpurata, discrimen occurrere affirmat, in imbecillitate, siue natura, siue ex morbo, siue alia ex causa affectis.* In his vero subiectis saepe saepius viscerum laesio vel ut causa, vel ut effectus imbecillitatis concurrit. Et quid plura dicam? Vel ipsi Inoculatores rei veritatem comprobant. Quamvis alta & vñanimi voce variolarum per infisionem excitatarum depraedicent benignitatem, pueros nihilominus, quorum viscera laesa esse suspicantur, ab infisionis methodo remouent, meruent, ne res male cedar totique methodo infamis inuratur macula. Ingens porro veneni copia non

16 *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

nōn minus nocet, quam parca illius quantitas conductit. Illa facile vim vitalem superat; haec minori cum periculo vincitur. Illa itaque nocua, haec magis salutaris, si in integrum euitari nequeat. *Post omnium vel exquisitissimas obseruationes*, inquit venerandus SYDENHAMVS, *rei cardo in hoc vertitur, vt in variolis salutis spes omnis in exanthematum paucitate reponatur, discrimen in eorundem multitudine, & prout plura haec sunt vel pauciora, aut moritur, aut viuit aeger.* Vid. Epist. ad Guil. COLE, Oper. omn. pag. 234. Tunc ergo demum salutis spes in variolis affulget, quando copia materiae venenosae minor est. Nam maior illius copia confluentes copiosas variolas & numerosa exanthemata producere solet. Optime etiam eandem veritatem norunt infitionis patroni. Quam frequenter enim ad exanthematum paucitatem prouocant? Verum exanthematum iusta in cute eruptio & retentio aequae ad salutarem febrium exanthematicarum solutionem requiritur. Optime noui, *Illustr. de HAEN tam in vtilissima Rat. medendi*, quam in *Divis. Febrium*, exanthemata, in primis miliaria fere omnia, pro symptomaticis habere, sumto hoc vocabulo pro eo, quod nocuum minusque est salutare. Autēa enim ab eorum eruptione symptomata esse obseruauit. At, licet obseruationum a peritissimo Medico institutarum integritati nihil denegare aut velim, aut ausim, aut possim; hoc tamen negari non potest, saepe saepius exanthemata miliaria cum summo aegri leuamine erumpere, cum vitae ipsius discrimine retrocedere. Augmentum symptomatum, post miliarium eruptionem deprehensum, accidentaliter potius caussae, quam exanthematum in se consideratorum noxae tribuerem. Vbicunque enim vera miliaria comparent, ibi tenue quoddam acre sanguini debuit antea inexistere. Nonne hoc enim, sanguini immixtum, maiora incommoda procreabit, quam ad cutim

cutim deuolutum inque ea subsistens? Nonne hoc alia exanthemata docent? Leuamen morbi, quod ab eruptione Observatores adnotarunt, sudori quidem, vrinae, vomitui, excretioni aluinæ & saliuæ, materiam morbosam exturbantibus, dare videtur *Illustr. de HAEN in Diuision. Febrium pag. 69.* Neque dubium est, quin, imminuta per has excretiones miasmatis copia, symptomata mitigentur? Quid? quod excretiones istae, si nimium languescant, non infimum locum inter eas occupant, quae leuamen, quod eruptio attulisset, impediunt. Verum noli omne leuamen, quod exanthematum insequitur eruptionem, iisdem tribuere. Illud enim omne adfert, quod materiam morbosam aut expellit, aut extra circulationis, ut ita dicam, pomoeria dicit. Hoc exanthematibus, illud excretionibus impetratur. Virumque itaque momentum salute non est destitutum. Quodsi materia, exanthemata producens, ex subtilissimis tantum constaret particulis, de exanthematum noxa disceptationi nullus profecto foret locus. Essent enim vere nocua. Quum autem in febribus exanthematicis materia obtineat ex una parte subtilissima, ex altera crassior; illa quidem serosis excretionibus expelli, haec vero exanthematum forma in cutis habitu comparare debet. Quare eiusmodi efflorescentiae in his rerum circumstantiis non poterunt non esse salutares. Plura dicenda habeo. Sufficiant interim haec, cum tribus tantum verbis in praesenti tractatione debeat haec materia expediri. Quod autem de miliaribus enuntiaui, id aequa de petechiis, variolis, morbillis, scarlatina & pestilentialibus exanthematibus affirmandum esse, cuilibet, cum natura eadem sit, patere potest. *HOFFMANNVS, SYDENHAM* aliique, idem passim contendunt, regulas idcirco ad praecaendum exanthematum retrocessum eademque retropulsa reuocanda praescribentes. Tandem transpiratio lenior, in febribus exanthematicis

18 *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

cis salutariter soluendis, necessaria est. Materia enim, in febribus exanthematicis praesens, coctione adeo inuerti nequit, ut in fluidum corporis humani abeat. Conf. Illustr. b. m. IVNCKERV<sup>S</sup> l. c. p. 585. n. 10. Quam ob rem, tam naturae, quam arti, praeter illius exterminationem relinquitur nihil, quo febribus ipsis mederi possent. IDEM l. m. c. Cuite vero nullus conuenientior datur locus, quo excrementitiae particulae, modo rite coctae, eiici possunt. Hac enim ratione materia ab inferioribus & nobilioribus ad exteriora & ignobiliora defertur; nocui sic in illis praepediuntur effectus, atque ob copiosissimam excretionem satis rite eliminantur particulae venenosae. Lenior hinc transpiratio (nam sudorem profusum magis novere vel ex SYDENHAMO notum est,) salutari febrium exanthematicarum solutioni non solum fauet, sed ad eandem quoque necessaria est, idque eo magis, quo certius est, quod nulla unquam fere febris salutariter soluatur, nisi transpiratio bene simul succedat (IVNCKERV<sup>S</sup> l. c. p. 470. n. 11.). Dum febrium inflammatoriarum curationem HVXHAMVS tradit, *bene hoc, inquit, notandum est, ubi copiosam dilutionem, a refrigerantis atque relaxantibus indolis liquoribus, sequitur moderatus & universalis sudor, illum plerunque esse criticum, & breui febrem fugare.* l. c. p. 22. Verum febres exanthematicae multum ad febrium inflammatoriarum genium accedunt (§. II.), quod ex saepe obseruata diathesi inflammatoria sanguinis per V. Snem emissi satis elucescit. Clarius adhuc transpirationis in febribus exanthematicis utilitatem & necessitatem ea docent, quae de febribus petechialibus p. 113. profert: *Me numquam, ait, barum febrium aliquam cognouisse, quae perfecte iudicata aut sublata sit, donec maior aut minor eruperit sudor, sanete affero;* cuius dein salutaris sudoris signa exhibet. Haec itaque ea sunt momenta, quae salutaris febrium exanthematicarum eu-

tus

tus sibi vindicat, quaeque in tantum comprobaui, quantum praefens tractatio permettere mihi videbatur. Ex ipsis autem diarrhoeae, febrisbus eiusmodi accendentis, salus & noxa generaliter euoli debent. *Nocia nempe erit, quae 1) transpirationem laedit, exanthemata vel reuocat, vel crumpere non sinit, viscerumque inducit laesiones. 2) A nimis copioso vereno determinatur. 3) Ita comparet, ut signum suppeditet laesorum viscerum, transpirationis impeditae, & exanthematum vel retropulsorum, vel emanentium.* Quae autem diarrhoea hac ratione non tantum non incedit, sed etiam ea momenta, quae salus in febrisbus exanthematicis speranda postulat, magis promovet, hanc ego *salutarem* in his febrisbus dicendam esse iudico.

## §. X.

*Dicta confirmantur per Observationes.*

Adeo certa, adeo firma sunt fundamenta, quibus notiones, ad finem §. praecedentis suppeditatae, innituntur, ut iustae dubitationi locus vix superesse queat. At enim vero, cum huius rei veritas maximopere grauis & utilis sit, per aliorum obseruata ut confirmetur necesse est. HVXHAMVS I. m. c. nihil sane magis, inquit, diarrhoeam salutarem esse demonstrat, quam si bonus sudor, moderatus vel calidus cutis mador, istam comitentur. Loquitur vero de diarrhoea in febrisbus petechialibus. Eruptionem variolarum describens de VIOLANTE, l. c. §. LXI. haemorrhagiam etiam narium & diarrhoeam inter illius phaenomena referit, atque haec de iis dicit: *Huiusmodi euacuationes non semper mali ominis sunt, dummodo modum seruent & eruptio bene procedat, neque aliae circumstant causae, e quibus aeger laedatur: attamen si modum exceferint, variolarum eruptio vel retardabitur, vel euanscet: quia per id temporis ipsarum expulsio a copiosa diarrhoea*

rhoea vel narium haemorrhagia deturbatur & invertitur; quo in casu suspicio atque timor semper erit de infelici exitu, si febris perseverauerit. Mala hinc est diarrhoea, quae exanthematicum impedit eruptionem. Idem comprobat *Illust. PRAESES, Fundam. Semiolog. Part. spec. Sect. I. Cap. VII. §. XI.* qui etiam Cap. X. §. XI. alii fluxum frequentem in Purpura inter mala reponit signa; nam retrocessionem exanthematicum saepius post se trahit, lethali non raro cum eventu. Male quoque audit ea diarrhoeae species, cui viscerum in febribus exanthematicis laesio sicia est. Exoptata illa in secundaria variolarum confluentium febre diarrhoea, inducta iam viscerum laesione, nullius est usus (*TRALLS de Meth med. Variol. haemorrh. cogn. &c. p. 88.*), atque ipse FREINDIVS, tantus licet in hac Variolarum febre purgantium patronus, concedit, *anceps omnino remedium, aut fortasse nullum praebere purgationem, si pulsus & spiritus, vel vterque repugnet, addita quaestione: Quid enim in ipsis leti fauicibus valitura sit medicina? Conf. Epist. de Purgant in secunda Variol. conf. febre adhibendis, p. 10.* Quodsi iam saluberrimam eiusmodi excretionem inutilem reddat viscerum laesio: quid quaeſo ista boni habebit diarrhoea, quae a viscerum laesione penderit, aut eandem inducit? Signum subsecuturæ mortis erit in utroque casu. Nam laesio visceris, a miasmate produc̄ta, certo certius necat. Suadent id vel solius exanthematicum regressus adeo lethales effectus. Demum & ea in his febribus diarrhoea noxia est, quam nimia veneni copia excitat (§. antec.). Non solum enim nullius est frugis (*TRALLS l. m. c.*), sed repentinam etiam intestinis, gangraena & sphacelo propter veneni copiam correptis, minitatur mortem. Quae nunc ad confirmandam diarrhoeæ, in febribus exanthematicis nocuæ, suppeditatam (§. antec.) notionem attuli momenta, naturam simul salutaris eiusmodi diarrhoeæ

rhoeae ostendunt. Contrariorum enim contraria est ratio. Ne ergo huic rei vterius immorer, ad specialiora nunc descendam, quae tam dicta, quam a me hic omissa vberius declarabunt.

## §. XI.

*Salus & noxa huius diarrhoeae ex eius magnitudine determinantur.*

Solebant Veteres, in determinanda criticarum excretionum salute, quantitatem, tempus & modum excretionis attendere. Imitabimur eos, quantum possumus, in hac tractatione generaliori, de quantitate per diarrhoeam excretorum primum dicturi. Huius respectu poterit diarrhoea, in febribus exanthematicis comparrens, diuidi in *parcam*, *profusam*, *largam*, *modicam*, & *sufficientem*. *Parca* mihi dicitur ea, quae non tanta succedit in quantitate, quanta fieri deberet. Demonstrabitur postea, vt exemplo vtar, diarrhoeam, quae collectas ante febrem exanthematicam cruditates in intestinis exturbat, vere esse salutarem. Fac eandem contingere; sit vero minor, quam vt cruditatum copia eliminari per eandem queat: tunc parcam eam indico. *Sufficiens* contra ea diarrhoea erit, quando tanta succedit in copia, quanta fieri debet. Diarrhoea igitur, quae omnes collectas cruditates expellit, neque ultra progreditur, erit hoc respectu sufficiens. *Profusa* porro est, quae nimium quantum excedit, e. g. ad summam usque debitatem. *Sufficientem*, quae tamen profusa videtur, *largam* nuncupandam esse credo. Clariss. TISSOT vidit, *aliquot aegros aluum impune quadragesies & ultra intra nycthemerum* in Variolis deponevere (de Variol. Apopl. & Hydropo, p. 77. n. 4.). Eiusmodi diarrhoea profusa videtur, vere tamen est sufficiens tantum, hinc larga. *Moderata* demum est, quae minime excedit. Ex definitionibus ferme iam intelligitur, quid de salute & noxa harum diarrhoearum in febribus ex-

anthematicis iudicandum sit. Incipiamus a *profusa*. Damno-  
sa haec est, idque quadruplici ex cauffa. Nam 1) cum nimis  
excedens sit excretio, corpus debilitat vimque vitalem, qua  
morbos superamus, frangit. Vnde in febribus exanthematicis  
laesio viscerum (§. IX.). Exanthemata enim tunc neque  
satis erumpere, neque rite in cute foueri possunt; quid? quod  
ipsa languescet transpiratio. 2) Depletionem vasorum internorum  
infert, dum fluidum in iisdem contentum nimium quantum  
educit. Nunc vasa interna cum cutaneis cohaerent. Il-  
lis itaque depletis, fieri aliter non potest, quin fluida a peripheria ad centrum reducantur. Hinc autem tam transpiratio-  
nis impedimentum, quam exanthematum aut retrorsus, aut  
eruptio languida planeque deficiens inducuntur necesse est.  
3) Liquidissimam humorum partem enormi in quantitate eli-  
minat, quo fit, ut partim remanens in corpore pars fluidorum crassior subsistat, partesque male adficiat, partim relictum  
venenum, diluente humore orbatum, grauius in solida, ea cor-  
tumpendo, agat, partim crassior veneni pars, exanthematum  
cauffa, expelli nequeat, partim demum vita ipsa, desinente  
vitali sanguinis motu, priuetur miserrimus aeger. 4) Ma-  
lum demum est signum. Docet enim, vim vitalem aut lan-  
guidius agere, aut excedere, aut in contraria rapi. Quibus  
ita comparatis, non miraberis, profusam eiusmodi diarrhoeam  
in febribus exanthematicis ab omnibus pro exitiali haberi.  
Vidimus (§. anteced.), celeberr. *de VIOLANTE* profusam eius-  
modi diarrhoeam in variolis damnare; damnauit eandem in fe-  
bre miliari *ILLUSTR. PRAESES* (§. anteced.), atque diarrhoeam in  
febribus putridis petechialibus *profusam subito mortiferam*,  
nisi refraenetur, notauit *HUXHAMVS* l.c. pag. 112. Vedit cele-  
berr. *TRALLES* in febribus malignis (quae ex parte huc per-  
tinent) diarrhoeas moderatas ab initio & incremento morbi vs-

que

que ad finem perdurasse, cum fructu aegri, si non supprime-  
rentur; vidit vero etiam non raro ipso illo tempore, quo cri-  
sin adesse reputari poterat, freno opus fuisse, *Tr. de usu Opii  
sal. & noxiis*, Sect. II. pag. 188. vbi exemplum adfert. Cautus  
est in adhibendo Opio clar. TISSOT, caute etiam versatur in re-  
fraenanda diarrhoea, quae Variolis sese adiungit. Nihilominus in diarrhoea, quae integrum virium deiectionem minita-  
tur, vtitur, ad eam compescendam, opio (l. c. pag. 36.). Ad-  
dit haec, quae dicta a nobis confirmare possunt: *Compreffa  
diarrhoea madebat cutis, erumpabant exanthemata, resurge-  
bant vires.* Quid pluribus opus est testimonii? Sufficiens  
in febribus exanthematicis diarrhoea tantum salutis adfert, quantum  
damni profusa concitat. Innotescer ex sequentibus, casus  
omnino occurtere, vbi deiectiones aluinae ad eliminandam  
nociuam quandam materiam maxime sunt necessariae. Quod-  
si nunc colluuius omnis, quae diarrhoeam indicat, per ean-  
dem vere eiiciatur; quodsi deiectione intra iustos sese contineat  
limites, neque plus urgeat, quam necesse fuerit: quid, quae-  
so, tunc obstat, quominus eiusmodi fluxus salutaris dici que-  
at? Haec vero diarrhoeae competitum sufficiunt. Est itaque  
talis pro salutari habenda. Veteres quaincunque excretio-  
nen criticam debere sufficientem esse, statuunt. Nonne id  
ipsum de diarrhoea in febribus exanthematicis, licet non sem-  
per critica, affirmare nos oportet? Eiusmodi praeterea dia-  
rrhoea sufficiens, satis conueniens est signum vis vitalis bene  
constitutae. Indicat enim, hanc moderate & cauſſae morbosae  
proportionate operari. Non est ergo cur de eius salute dubi-  
remus. Plurima huc spectantia habet HVXHAM l. cit. pag. m.  
Atque notum est, quam sollicite Practici caueant, ne inconve-  
niente methodo eiusmodi diarrhoea compescatur. Larga nil  
aliud est, vt dixi, quam sufficientis species. Non minus ita-  
que

24      *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

que est salutaris. Quare etiam clar. TISSOT largae eiusmodi diarrhoeae in Variolis nulla iniecit frena, l. c. pag. 77. Parca porro in febribus exanthematicis diarrhoea, utpore sufficientis vtilitate destitura, minus est salutaris. Est insuper signum minime bonum. Indigitat enim partim torporem, aut excessum vis vitalis, partim crudae, per diarrhoeam eliminandae, materiae ad sanguinem aut alias partes refluxum atque transi- tum, procul dubio maxime nocium. Haud minus itaque damnum adfert, quam critica excretio nimis parca, quae obseruatoribus adeo male audit. Commendat MEAD in Variolarum initio eiusmodi cibos, qui aluum continuo apertam seruant, Ficus ideo, Pruna Damascena, Tamarindos aliaque, cibis addenda, laudans; atque si haec minus sufficiant, Arabes imitandos esse censer, qui Mannae parciorum dosin exhibuerunt (l. c. pag. 34.). Si nunc tantae est necessitatis continua alui apertio: quam mala, quaeso, erit diarrhoea nimis parca, nocium somitem in corpore relinquens? Moderata tandem in febribus exanthematicis suborta diarrhoea saepe saepius quidem salutaris, nunquam autem nocua est. Cum enim quantitate non excedat, nocua esse non potest. Saepius autem erit salutaris. Etenim 1) poterit nimium sudorem & humorum ad cutim impulsum minuere. In ipsis (Variolis) discretis, inquit clariss. TISSOT, dum inepte venenum, quod salutaris diarrhoea subducit, confectione aut theriaca coercent, protinus increscit calor; numerosae erumpunt pustulae; gaudent; flebit aeger tempore suppurationis (l. c. pag. 77.). Neque crederem tanti esse semper momenti, quod contra leniora laxantia (hinc moderatam quoque diarrhoeam) in ipsis Variolis adfert celeberr. FISCHERVS §. XXVIII. Comment. de Remed. rusticano Variolas per balneum - feliciter curandi. Non omnis & semper humorum versus cutim adfluxus conductit in variolarum curatione.

2) Salu-

2) Salutariter saepe educit cruditates primarum viarum partemque veneni. Vid. TISSOT l. m. c. Addit pag. seq. *Initio morbi accersitus, funesta symptomata semper cauere potui, aegrum quotidie purgando, iam a tertia morbi die, usq; Cremoris tauri & Tamarindorum; & prout duecebatur aliis, omnia recedebant symptomata, faustumque adeo vidi euentum, ut tempore suppurationis toties purgatus aeger remedii fere carere potuerit.* Quod purgando hic ars impetravit, mediante diarrhoea moderata alias peragit natura. 3) Minuit ideo morbi symptomata (IDEM l. c.), atque tandem 4) ob eandem caussam, instantem saepe mortem, redeunte dein sanitate, feliciter profligat. Nota sunt diarrhoearum in febre variolarum secundaria exempla, a MEAD & FREINDIO potissimum allata. Lege etiam, quae TISSOT l. cit. pag. 79. de morboioso refert. Sola primarum viarum faburra terrifica producebat symptomata. *Enema* TISSOT praescripsit, — aeger quater diecitur, copiose fluxerunt urinae, largus succedebat sudor, intra triborum integrum conualuit. Modicam eiusmodi diarrhoeam in febre miliaria non sifendam est, praecipit HAMILTON loc. cit. atque clariss. STOERCK talem in febre miliaria & petechiali fibi reliquit. Vid. Ann. med. l. pag. 35.

SCHOLION. Signa diuersarum, quas considerauimus, diarrhoeac specierum sine opera innoscunt. *Profusa* ex suis potissimum effectibus dignoscitur; *sufficiens* ex cessatione symptomatum antea molestorum, diarrhoeam indicantium, diuidicatur. *Parca* ex duratione symptomatum, quibus diarrhoea mederi deberet, mensuratur. *Larga* ex signis sufficientis & valde frequenti deiectione noscitur. *Moderata* demum ex deiectione minus frequenti, damnorum defectu, salubritate & statu aegri innoscit. Generatim proinde ea hic quoque notari debent, quae Medici in determinanda euacuationum magnitudine praecipiunt. *Temperamentum, corporis constitutio,*

26      *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

stitutio, aetas, sexus, vitae genus aliaque in censum hic veniunt.

§. XII.

*Salus & noxa diarrhoeae in febribus exanthematicis respectu temporis.  
Tempus eruptionis.*

Actiones nostrae ex tempore, quo suscipiuntur, saepe saepius dijudicari debent. Non mirandum itaque est, quod excretionum febrilium aut salus, aut noxa, a tempore pendeat, atque sapientes Medici eandem ob causam illius habuerint rationem. Determinemus itaque nunc salutem & noxam diarrhoeae in febribus exanthematicis ex temporum eiusmodi febris diuersitate. Nascitur febris, increscit, ad statum peruenit, decrescit demum & finitur. Haec sunt solemnia ista febrium tempora; hinc febribus quoque exanthematicis propria. Quoniam autem nobis speciatim cum febribus res est, hinc commodiore temporum diuisione ut possimus. Exanthema est symptoma harum febrium essentialie. Quid ergo impedit, quo minus illarum tempora secundum exanthematum mutationes determinemus? Exanthemata vero erumpunt, subsistunt in corte & euanescunt. Tria itaque in febribus exanthematicis formari possunt tempora. Tempus nimirum *eruptionis, efflorescentiae, & euanescentiae.* Referamus iam diarrhoeam ad diuersa haec tempora. Quum eruptionis tempore summo cum aegri emolumento exanthemata prodire debeant (§. XI.): nulla vñquam in hoc febris stadio salutaris esse diarrhoea potest, quae exanthematum eruptioni obicem ponit. Parebit id ex §. citat. qui varia etiam huius asserti testimonia continet. Omnis contra ea diarrhoea, quae exanthemata cum aegri leuamine erumpere finit, quaeque recreat aegrum, iure quodam suo salutaris dici meretur (§. citat.). Laudanda ergo hoc tempore erit diarrhoea, i) quae cruditates primarum viarum sufficienter expel-

expellit. Saburra in intestinis collecta, sibi etiam relictā, innumerorum est malorum mater. Excitat nausreas, anxietates, difficultem respirationem, dolores, tormina, spasmos, motus febribiles, caloris incrementum, fanguinis dyscrasiam & quam plura alia. Quanto magis haec omnia producet, si febri exanthematicae accedat? Quantum anger aegrum febre exanthematica incipiente decubentem, cuius similia sunt symptomata? Educta autem saburra diarrhoeae ope, omnia euanescunt descripta mala; exanthemata, spasmo soluto & caloris nimii fomite abacto, placide magis & cum euphoria erumpent; conueniens restituetur transpiratio; anxiis pectoris incommodis, morte saepe ipsa intolerabilioribus, felix se liberum sentier anger; sanguinis demum crasis, contra nouum inquinamentum defensa, & minorem morbum & facilius superandum efflorescentiae tempus promittet. Tantis itaque commodis stipata diarrhoea, cur salutaris nominanda non sit, ego quidem perspicere non possum. Relege, quae §. antec. de moderata diarrhoea dixi, quantumque cum dictis experientia consentiat videbis. Conf. HVXHAM l.c. Tom. II. pag. 127. Vellem autem ad hanc adplices notum illud HIPPOCRATIS dipterum: *Quae vacuantur, non multitudine sunt aestimanda, sed si qualia operaret evacuentur, & anger facile ferat.* Nam ex §. antec. patet, infantes maxime longam diarrhoeam impune tulisse. Caeu itaque ne in hoc casu sufficientem pro diarrhoea profusa habeas, & excretorum multitudine deceptus, eandem incaute cohibeas, a TISSOTO castigandus l.c. §. 17. 2) *Moderata.* Haec enim nunquam est nociva, saepius vero maxime salutaris (§. anteced.) Plurima etiam commoda in eruptionis stadio adfert. Facilitat enim exanthematum eruptionem; aegrum contra profusum sudorem munit; educit partem veneni & cruditates; symptomata lenit (§. antec.). Forsitan de eiusmodi diarrhoea

non male ea praedicari possunt, quae *Illiſtr. PRAESES Fundam.*  
*Prax. med. Sect. I. Cap. VIII. §. VI.* de diarrhoea in morbillis  
 enunciat: *Diarrhoea, inquit, si concurrit, prouide eadem tra-*  
*etanda, nec facile compescenda est: soluit enim saepe morbum,*  
*& multae ac copiosae fordes e corpore per ipsam secedunt.* Prae-  
 terea in variolis eandem minime damnat *de VIOLENTE* (§. X.);  
 conf. etiam, quos ad finem §. anteced. excitaui, *Auctores &*  
*Illustr. LVDWIG, Dissert. citat.* qui eiusmodi diarrhoeae critici  
 quidquam tribuit in variolis. Nociua nunc in eruptionis fe-  
 brium exanthematicarum tempore diarrhoea facile diiudicari  
 potest. Huc nempe pertinet 1) *nimir parca, licet copiosae ad-*  
*fint cruditates in intestinis.* Haec enim generatim est nociua  
 (§. antec.), & fructibus sufficientis in hoc casu diarrhoeae (n. r.)  
 destituitur. Longe tamen periculosior est status, quando nul-  
 la contingit. Tunc enim mala n. r. recensita indefinenter ad  
 mortem usque saeuunt. Bene itaque clar. *TISSOT* in variolo-  
 sis pueris, cacochylia laborantibus, post suppressam mala arte  
 diarrhoeam salutarem, adhibet purgantia, in his cito exhibitis  
 & acidorum usu unicum reponens solatum. Conf. loc. cit.  
 2) *Profusa.* Eruptionem scilicet impedit & ingentia infert da-  
 mna (§. antec.). *Non possum, quin annotem,* inquit *HVXHAM*  
 l. c. p. 113. *me diarrhoeam, licet eam in statu aut declinatione*  
*barum febrium saepissime criticam & salutarem inuenierim,* ge-  
 neratim tamen in ipso principio deprehendisse noxiā: *si eain-*  
*primis valde tenuis, serosa & profusa est.* Conf. etiam *de VIO-*  
*LANTE* l. c. pag. 101. Plura de ea iam dixi §. anteced. quae ad  
 hunc statum facili negotio applicari possunt.

**SCHOLION.** Pauca adhuc monenda hic habeo. a) Ex lo-  
 co, quem nunc modo ex *HVXHAM* Operibus adduxi, patet,  
 egregium Virum diarrhoeam in ipso febris malignae & pte-  
 chialis principio generatim noxiā deprehendisse. Nonne  
 hacc

haec iis contradicunt, quae de salute diarrhoeae in eruptionis febrium exanthematicarum tempore edixi? Neutquam! Non dicam, quod verba ipsa HVXHAMI vere innuant, illum salutarem diarrhoeam tempore praedicto observasse nonnunquam; sed alia ratione satis conuenienter responderi potest. HVXHAMVM nempe non omnem hoc tempore comparentem diarrhoeam damnare posse, tam ea, quae adducta verba statim excipiunt, quam p. 111. enunciata, euincunt: Priore in loco affirmat, nihil magis ostendere, quod diarrhoea salutaris sit, quam si bonus sudor moderatus, vel calidus cutis mador illam comitantur. Sed euictum dedimus, diarrhoeam, quam salutarem diximus eruptionis tempore, transpirationi leniori nullum obicem ponere. Posteriore in loco damna delineat, quae a ventriculo & intestinis, cruditatibus biliosis repletis, in corpus febre maligna & putrida affectum redundant, commoda vomitus & dejectionum tunc comparentum ostendit, & exemplo a veneno desumpto vritur, quod quantocvus eliminare studemus; denique pag. seq. partim incommoda, a diu retenta materie biliosa oriunda, ostendit, partim suader, vt illam e primis viis conueniente tempore ac iustis interuallis expellamus. Haec, si quid ego iudicare possum satis demonstrant, quam bene asserta HVXHAMI consentiant cum iis, quae in §. de salute diarrhoeae affirmaui. Laudauimus diarrhoeam, quae in eruptionis stadio cruditates & faburram expellit. Commendar similes deiectiones HVXHAMVS, modo tempore fiane conueniente. In exanthematicis autem febribus eruptionis tempus, nisi aliud quid obsteret, conuenientissimum ad eliminandas cruditates reperitur. Laudauimus moderatam. HVXHAMVS non minus, dum eam pro salutari venditat, quae leni calido madore cutis stipata incedit, qualis est moderata. Hanc demum ipfem in petechialibus, p. 97. effert. Nam, *moderata*, inquit, *diarrhoea haud raro valde est salutaris, & natura interdum solam hanc viam eligere videtur, qua materia remouet morbosam*. Patet hinc ex omnibus haetenus allatis, nostra HVXHAMI assertis optime respondere. β) Quo magis aut moderatius diarrhoea salutaris determinatur, quo magis aut moder-

30      *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

ta, aut sufficiens est, eo melior erit. Quo magis autem profusa vrget, quo diutius affigit, eo est peior. Gradus diarrhoeae parciорis facile intelliguntur.

§. XIII.

*Salus & noxa diarrhoeae in febribus exanthematicis tempore efflorescentiae. Diarrhoea profusa.*

Efflorescentiae tempore exanthemata in febribus exanthematicis adparent cuti inhaerentia & ad legitimum vsque tempus in suo permanent statu, eas subeuntia mutationes, quas, euanescencia excepta, naturaliter cum aegri euphoria experiri debent. Nocua ergo hic erit omnis diarrhoea, quae exanthemata reuocat, eorum maturationem impedit, casque exanthematum mutationes, quae ipsis hoc tempore naturaliter sunt sollemnes. Intelligitur hinc facile, diarrhoeam profusam summe hic esse nocuam (§. XI.). Notat HVXHAM l. cit. pag. 101. febrem in variolis mitioribus ipsa eruptione perfecta cito determinari, tuncque cessare, cum febris, aut naturae conamen, morbi materiam expulerit: *Interdum vero, inquit, ob profusas evacuationes, non tantum ei supereft vigoris, quantum requiritur, vt morbum per crifin expellat conuenientem; sed pustulae pallidae, albidae, sessiles remanent crudiae, neque consueto modo maturescunt.* Laudarat, vt vidimus §. III. diarrhoeam in confluentibus variolis SYDENHAMVS. Nihilo tamen minus l.c. p. 86. haec habet: *Ab alio nimia catbarfi subducta pustulae nonnunquam fastigiis cedunt & derepente confidunt, superueniente diarrhoea, a qua aegro (adultus si fuerit) ingens est discrimen & anceps morbi exitus, materia scilicet variolosa intropulsa, ita vt natura eidem per cutis poros debite exterminandae impar prorsus inueniatur.* Huc accedit, quod facie manuumque tumor ab his retunditur, qui non minus in bonis aegri rebus censendus est, quam ipsa pustularum eruptio, nisi

*nisi eae fuerint perpaucæ.* Inter periculosisima morbillorum symptomata celeberr. TRALLES vomitum & diarrhoeam enor- mem numerat, additque, in casu virginis illustrissimæ, mor- billis adfectæ, *anxietatem peripneumonicam summam*, cum diarrhoea profusissima, valde difficultem medelam reddidisse, Tr. de *Vsu Opii salubri & noxiø in morb. med.* Sect. II. p. 145. In febri miliari eam tantum diarrhoeam non restinguendam esse, sub qua duæ tantum tresue sedes sine ventris tormini- bus & spirituum defectu fiunt, praecipit HAMILTON l.c. Pro- fusa vero minime talis reperitur. Clariss. SIDOBRE alii fluxum forsitan in variolis ob copiam non laudat. Vid. Tr. de *Va- riol. & Morbill.* Cap. XIII. In Peste aluum saniosam cruentam, aut valde aquosam, malam habet HVXHAMVS l.c. Tom. I. p. 245. Profusam autem diarrhoeam in febribus exanthematicis, modo saniosam, cruentam, modo aquosam esse, inter omnes constat. Habet etiam clariss. TISSOT loc. c. pag. 36. in variolis malignis aluum fusorem, vires plane conuellentem, cum fre- quentibus animi defectionibus & extremonrum refrigerio, toto morbi tempore adsidentem. Haec omnia, quae profusam diarrhoeam in efflorescentiae febrium exanthematicarum tem- pore respiciunt, eius summe nocium genium satis superque mihi euincere videntur. Dari vero & in hoc febrium exan- thematicarum stadio diarrhoeam salutarem, ex casu patebit consideratione.

#### §. XIV.

##### *Diarrœa salutaris tempore efflorescentiae.*

Huc vero sequentes maxime pertinent: 1) Demonstra- umus §. XII. salutarem esse tempore eruptionis febrium exan- thematicarum diarrhoeam, quando primarum viarum cruditi- ates expellit. Fit tamen haud ita raro, ut illæ ipsæ cruditi- ates non expulsæ ad secundum usque febrium exanthermati- carum

carum stadium remaneant. Contingere id potest vel corporis quacunque constitutione, vel incongrua arte, quae salutarem istam, in primo stadio, naturae benignitate, subortam diarrhoeam male refraenauerat. Posterioris exemplum ex tis-  
soto l. c. adduximus §. XI. prioris videtur HVXHAM referre l. c. Tom. III. pag. 31. 33. *Aeger colica biliosa violenta quarto ab eruptionis variolae die corripiebatur, cui antea fuerat obnoxius, isque iam ante & post eruptionem de magna spirandi difficultate, cum importuna breui tussi & dolore sub sternendo violento, conquerebatur.* Nonne haec docent, adfuisse iam sub ipsa erupione faburram biliosam, naturae quoquaque vi-  
tio ad efflorescentiae tempus reliqtam? In his nunc & simili-  
bus casibus diarrhoea, cruditates istas sufficienter expellens,  
maxime erit salutaris. Lege quae §. XII. de cruditatum effe-  
ctibus locutus sum: adplica haec ad efflorescentiae tempus, at-  
que, ni omnia me fallunt, summum cruditatum in hoc febri-  
um exanthematicarum tempore detrimentum perspicias. In  
aegroto, cuius meminit HVXHAM, variolae collabescabant, &  
non minus pallescabant, quam interstitia; pulsus erat quam  
maxime languidus & prodigosus, & tremor, viscido cum su-  
dore coniunctus, afficiebat aegrum; sopito dolore, educta  
materia, pustulae rotundae, floridae & turgidae deprehen-  
debantur. Conueniet ergo hoc in casu diarrhoea, blande  
& sufficienter malorum caussam eliminans. Minus tamen  
tunc, quam in primo stadio, salutaris est. Febris enim, re-  
tentio ipsa, aliaque accidentia, massam facile corruptum, &  
temporis diuturnitate ipse sanguis inquinatur, malumque ma-  
gis inueterascit. Quo citius interim & sub hoc statu euenit,  
eo melior: tanto contra ea minus bona, quo diutius emanet.  
Numquid hinc forsitan explicari potest mira Excell. VOGELI  
Obseruatio, Nou. Act. Acad. N. C. Tom. I. pag. 127. infera?

2) Quam-

2) Quamquam in morbi initio nullae etiam adsunt cruditares: poterunt tamen hae ex morbi ipsius natura temporis mora enasci, atque id satis magna in quantitate. Dictum est §. III. & seqq. quam facile in morbis exanthematicis, febre stipatis, primae adficiantur viae. Nonne hinc cruditates oborientur quam facillime? Febris ipsa acuta, magno saepe cum calore incedens, fluida humana, bilem potissimum, corrumpere vallet. Vnde noua cruditatum cauſa. Motus humorum versus peripheriam auctior, excretionem aluinam naturalem aut minuens, aut plane sufflaminans, terra est in febribus exanthematicis cruditatum cauſa (§. II.). Quis demum est, qui nesciat, quantum, faburræ collectioni, blandioris chyli defectus faueat? Hunc vero deficere in febribus exanthematicis, nemo negabit. Quum itaque tam multiplici ratione a febre ipsa faburra oriri queat: erit sane & ea in hac periodo salutaris diarrhoea, quae illam sufficienter exturbat. Non minora enim damna ab his cruditatibus, quam ab iis, quas n.r. dixi, ad aerum febre exanthematica detentum redundant. Fuse & pulcre hoc docuit HVXHAM l. c. Tom. III. pag. 28. seqq. dignus, qui hac de re conferatur. Nonne itaque & eandem ob cauſam diarrhoea sufficiens conueniet? Laudat HVXHAMVS in peste, circa efflorescentiae tempus, diarrhoeam, si biliosa, aut subnigra, atque non nimis liquida deiiciantur (l. c. Tom. I. p. 145.). Eiecta vero haec massa cruditates antea praesentes innuit.

### §. XV.

*Diarrhoeæ salutaris in hoc stadio species tertia, variolosis  
maxime competens.*

Tertio in febribus nonnullis exanthematicis haud raro contingit, ut salutares quedam excretiones suppressimantur, quarum vicem dein salutaris subit diarrhoea, in efflorescentiae

E

stadio

34 *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

stadio enata. Hoc de variolis in primis confluentibus dictum volo. Saliatio in adultis adeo utilis, ex SYDENHAM iudicio, in hac variolarum specie est, vt statuerit, hanc euacuationem tam esse necessariam, quam sunt vel pustulæ, vel faciei & manuum intumescentia (Oper. omn. p. 53.). In sequentibus (p. 85.) statum aegri die morbi vnde decimo delineat, mortemque ipsam a suppresso hoc die ptyalismo deducit. *Materia*, inquit, ptyalismi, quae ad hunc usque diem cruda fuit, tenuis & facile exercibilis, viscida iam facta & tenax, aegro suffocationem intentat; potus, quem assumit, in palmones fere delabitur, vnde cum tussi violenta per nares reicitur, voce est rauca; somnolentia & stupore corripitur ingentibus, oppressus vnde que vi morbi, atque in buiusmodi agone ut plurimum extinguitur. Plura eiusmodi loca, quae saliuationis in confluentibus adulorum variolis tam utilitatem, quam necessitatem ostendunt, SYDENHAM Operum lector facile reperiet. Hic interim ptyalismus neque adultis solum, neque confluentibus uisce competit. SYDENHAMVS ipse describit variolas anomalias, quarum discretæ saliuationem secum ducebant; nam dicit: *Illud etiam addam, quod nonnumquam, licet rarius, aegrum etiam paucissimis notatum pustulis, ptyalismus, haud secus ac in confluentibus, exerceret.* l. c. pag. 124. Saliuationem nonnumquam in variolis discretis malignioribus comparere, docet quoque Illuстр. de HAEN, *Diuis. Febr.* pag. 83. Notat etiam HVXHAM l. c. Tom. I. p. 132. variolas discretas epidemicas cum exspuitione, licet parca, coniunctas. Clariss. demum TISSOT (*Avis au peuple sur la santé Edit. germ. p. 213.*) refert, ptyalismum raro occurrere in morbo mitiore, qualis in discretis, SYDENHAMO testante, esse solet. Neque adultis tantum comperit, verum etiam infantibus nonnumquam, quos a ptyalismo liberos magis, diarrhoea illius vicem explente, habet SYDENHAM. Illuстр. de HAEN l. m. c. duos resenfet

censem casus ptyalismi, in infantibus obseruati. Puellae erant, quarum una trium erat annorum, altera nouem. Atque TISSOT ad subiecta ptyalismi variolosi omnia illa refert, quae morbo grauiore laborant, & septimum aut octauum superarunt annum (l. m. c.). Quid? quod HVXHAMVS l. c. Tom. III. variolas epidemicas anomalas describit, vbi in confluentium maturazione *saliuatio in nonnullis admodum parca, in nonnullis omnino erat nulla*; testatur vero loco cit. porro, *nonnullos iuniorum infantum per morbi decursum saliuam insignem emisisse*, quod comprobat exemplo duorum infantum, quinque & septem annos natorum, adeo profusa saliuatione post XIII. diem adfectorum, vt purgantibus, cortice Peruiano, adstringentibus aliisque, eandem maxima cum difficultate demum cohiberet (l. c. p. 18. 19.). Ex his nunc in medium allatis quemlibet saliuationis, in nonnullis variolarum speciebus, utilitatem intellegitur esse credo. Quo maligniores sunt nempe variolae, eo magis necessaria est saliuatio. Confirmant hoc testimonia, quae excitaui, collata cum iis, quae de discretis, confluentibus, epidemicis & sporadicis variolis in Pathologia euinci debent. Neque defectus saliuationis in epidemia, quam HVXHAM depinxit, contrarium suader. Attente enim totius morbi decursum legens, non minima hinc profecta esse damna, nisi aliae excretiones contigerint, facile intelliges (IDEM l. c. pag. 25.). Confirmat etiam Illustr. PRAESES Fundam. Semiol. Part. II. Sect. I. Cap. VII. §. V. Illustr. LUDWIGII Dissert. cit. & alii plures, quos passim adduxi. Nihilominus adeo salutaris excretio, vel ipsa morbi natura saepe saepius supprimitur, aegro tunc ea incommoda subeunte, quae SYDENHAMVS viuis depinxit coloribus. Convenier tunc maxime diarrhoea, virus variolosum, excretioni per saliuam resistens, ope intestinorum (§. II.) expellens. Unde in laudanda eiusmodi diarrhoea multi sunt Observatores.

36 *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

Odiosum foret haec omnia testimonia adferre. Lege eos, quos attruli, quorumque cum laude semper recordor, scriptores, arque miserum aegrum hac oborientē diarrhoea e mortis saepe fauibus eruptum esse intelliges. Diarrhoea infantum, salutationis vicem, teste SYDENHAMO, sustinens, ex his nimis facile nunc diiudicari poterit, quam ut opus sit eandem speciarum considerare. Verum alia adhuc aequa grauis in hoc morbo accedit caufa, quae diarrhoeam summe vtilem esse ostendit, si efflorescentiae tempore enascatur. Variolae namque maturatiois tempore in pus conuertuntur, quod expelli debet, alias tam acuta, quam chronica producens mala. Quodsi nunc omnes variolae essent bonae & generis discreti, puris, vtpote tunc parcioris, excretio haud multum faceſſer laboris. Quoniam autem tam frequenter incident variolae malignae anomiae & confluentes, qhae, docente SYDENHAMO, minimum turgent, grauissimeque nihilominus cutim inflammant, puris etiam expulſio tunc ſatis conuenienter imperrari potest. Eiusmodi enim variolae, vtpote densiffimam crustam producentes, puris exclusioni ipſaem obicem ponunt. Praeterea grauiorem, quam inferunt, inflammationem copiosior etiam inequivetur ſuppuratio, qua facta, puris excretio, ob insignem ſui copiam, retardatur. Fieri ergo tunc aliter non potest, quin enormis generati puris copia ad ſanguinem refluat, patulis abforbentium vaſorum oſtiis vbiique obuiis; ſumma hinc naſceretur febris, pus conuertetur calore, tritu & febre in putrilaginem, ſubsequente demum morte. Diarrhoea vero ſubnata eo statim tempore, quo facta est absorptio puris, hocque tunc educens, ſummae erit uitilitatis. Quis enim non vider, recensita mala, cito ſatis expulſo pure absorpto, praecaueri? Natura hac in re Medico monſtrauit viam, quam in ancipiti caſu eligere deber. Obſeruauerat MEAD (vid. Tract. de Varioſ. & Morbill.), vario-  
loſos,

losos, vi morbi oppressos & in agone fere iam constitutos, refici diarrhoea maturationis tempore enata. Imitabatur naturam in similibus casibus, dartoque cathartico leniore, aegrum, saepe fere iam iugulatum, in vitam quasi reuocabat. Sequebantur eum FREINDIVS, singulari Epistola methodum commendans, & postea alii Medici magni nominis, HEISTERVS, de VIOLANTE, TRALLES, TISSOT, LVDWIG, HVXHAM, &c. quorum scripta & methodi praescriptae, itidem diarrhoeae, quam diximus, laudes depraedant, licet lugubres etiam casus aegrorum, oborta quamvis diarrhoea vita functorum, candide describant, cuius rei caussa ex subsequentibus patebit. Addere huic considerationi possimus, variolas nonnumquam, licet quodammodo rarius, adeo denso agmine cutim occupare, ut maturationis tempore vix lenior transpiratio perdurare queat. Diarrhoea vero praedieta, damnum abinde meruendum quam optime praecauer. Haec de variolis valent. In aliis febrium exanthematicarum speciebus naturaliter minus, ac in variolis, istae circumstantiae obtinent.

### §. XVI.

*Diarrhoeae in efflorescentiae stadio salutaris species quarta & quinta.  
Aliae in eodem nocivae.*

Quarto nonnumquam & tunc in hoc stadio salutaris comparet diarrhoea, quando impetus humorum versus cutim nimius, aut metaftasis materiae versus inferiora facta est. Demonstrauimus §. XI., salutarem diarrhoeae moderatae effectum inter alia in refraenando nimio humorum versus cutim adpulsu reponendum esse. Tempore autem efflorescentiae febrium exanthematicarum nimium quantum saepe eiusmodi virger impetus, atrocia producens mala, calorem siccum, anxieties, spasmus, exanthematum aut ingentem copiam, aut regressum, & quae ex his propullulant. Conducet ergo tunc

diarrhoea, tam deriuando, quam exterminando saepe veneni partem. Comoda huius etiam diarrhoeae in variolis haud raro perspicimus. Conf. quae §. XI. adduxi. Quid? quod dicere de eadem possumus, quod clariss. TISSOT de cito purgatione in variolarum efflorescentiae stadio praedicat (*Epist. de Variol. Apopl. & Hydrope*, p. 76.): *Praecauet largam illam secundam pustularum suppurationem, quae exsiccationem aliquoties excipit.* In aliis febribus exanthematicis poterit reliquias, reciduas, mortem ipsam praecauere. Nam tantum augetur veneni copia, quantum sanguinis orgasmus & versus cutim adpulsus excedunt. Incidit etiam porro in eiusmodi febribus nonnumquam, ut metastasis materiae versus interiora fiat. Saepe tunc mors a materia viscera celeriter laedente. Non nunquam autem non adeo virulentae naturae materies est, ut actutum enecet & corrodat. Quodsi tunc ad intestina feratur, orietur diarrhoea minime nocua, sed salutaris potius. Refert Illustr. b. m. STAHLIVS, in *Dissert. de Exanthematum malignorum retrocessione*, casum quandam pueri variolosi, in quo variolae nimis cito euanderant, saliuatione interim copiosa pristinæ sanitati restituti. Nonne hinc diarrhoeae, de qua modo locutus sum, utilitas appetet? Viae enim saliuales & intestina valde consentiunt, quod ipsi hypochondriaci docent. Conf. etiam HVXHAMVS l.c. Tom. III. pag. 31. seqq. vbi de tumore faciei & manuum, infelici translatione in variolis regrediente, loquitur, atque materiae per aluum promouendam evacuationem commendat. Tandem 5) *criticam diarrhoeam* hic refero. Quamquam enim natura per solam diarrhoeam minime soluit febres exanthematicas, dum sudor, vrina, vomitus, saliuatio concurrunt ad criticam horum morborum solutionem (HVXHAM l.c. Tom. II. p. 113.), partem tamen criticæ huius solutionis diarrhoeæ adscribendam esse experientia docet. Vid. quae

quae n. 3. 4. dixi. Conf. quoque HVXHAM l. c. pag. 97. & 141.  
*de HAEN Rat. med. Part. V. pag. 20. 25.* Salutaris hoc in stadio diarrhoeae momenta declarant quoque nociae in eodem diarrhoeae species, praeter eam consideratam profusam prodeentes. Omnis nempe nocia hic erit, quae salutari vere contraria est. Parca itaque, vbi copiosior indicatur; diu emanens; corrupta iam materia & visceribus laesia comparens; aegrum minime leuans, non salutaris est, sed nocia.

**SCHOLION.** Quum in variolis tantae sit diarrhoea dignitas, non mirandum erit, quod Excell. VOGEL l. c. obseruauerit, pueros, nullis diectionibus tentatos, morbo superato, si ipsis confluentes aut copiosae pustulae fuerint, metastases concepisse ad articulos.

### §. XVII.

*Salus & noxa diarrhoeae tempore euanescentiae.*

Vltimum adhuc superest febrium exanthematicarum tempus, quod *euanescentiae* dixi, & cum quo diarrhoeae salutem & noxam comparare debemus. Comprehendit illud hoc febrium exanthematicarum stadium, in quo abitum exanthemata parant, tandemque plane euanescent. Hoc ergo tempore maxima veneni copia evacuata est, continuatis salutaribus excretionibus magis magisque euacuanda. Tota hinc Practici cura in eo occupata esse deber, ut caueatur, ne quidquam a morbo remaneat, id quod roborando, salubres excretiones sustentando, immoderatas refraenando, deficientes excitando, atque congrua diaeta & conueniente regimine maxime impetrabit. Quilibet ex his vider, quam utilis lenior in hoc stadio sit & moderata diarrhoea. Nemo nescit tristes istas reliquias, quae exanthematicam febrem, ob relietas imprimis quasdam miasmatis particulas, excipiunt. Quem variolarum lugendae fugiunt reliquiae? Conf. hic Illustr. PRAESIDIS Diff.

*de*

40      *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

*de Reliquiis variolar. tam praeferuand. quam curandis*, Halae  
1751. SIDOBRE l. c. TISSOT l. c. pag. 73. & scriptra fere omnium,  
qui insitioi fauent. Illustr. *de HAEN incommoda ista & morbos*  
*insitius eriam tribuit*; vt alia loca taceam, quae passim in  
*Eius Opusculis*, contra inoculationem editis, occurunt. Vid.  
*Responf. ad illustr. TRALLES Epist. apolog. &c.* Quaest. VII. p.  
45. vbi RASTII testimonium adfert. Celeberr. denum TRALLES  
fegetem malorum, a naturalibus relictorum, collegit in Epist.  
ad Illustr. *de HAEN, de Inst. Variolar. vel admitt. vel repud. &c.*  
p. 155. seq. Morbilli non solent benigniores esse. Vid. TISSOT  
l. c. p. 79. Celeberr. TRALLES Tract. *de Vsu Opii sal. & noxio*,  
Sect. I. pag. 125. & II. pag. 121. *de VIOLANTE l. c. de Morbillis*,  
§§. XXXIII. XXXIV. & alii. De Scarlatinae reliquiis legi potest  
Clariss. PLENICIZ Tract. III. *Oper. med. phys.* HAMILTON in-  
tegrum l. c. scripsit Caput *de Morbis quibusdam febri miliarie*  
*superuenientibus*, atque hoc artuum inferiorum tumorem &  
calorem hecticum refert prae ceteris. Vid. etiam ALLIONIT Tr.  
*de Miliar. origine, progressu, natura & curat.* Atque, vt om-  
nia paucis complectar, quis recidiuas, vlcera interna, metafta-  
ses viscerumque pessimas laefiones, quae a febribus exanthe-  
maticis relinquentur, ignorat?. Haec ergo ocyus seriusue no-  
ciua mala, cum a relicta maxime veneni particula originem  
suam sumant, non alia ratione, quam ciecta per excretionem  
conuenientem materia, euitabit aeger. Moderata diarrhoea  
hanc inter alia praefabit utilitatem. Nonne itaque, si contin-  
git, erit laudanda? Considera dein, quod fusius §. XIV. docui,  
ipfam morbi naturam efficere, vt cruditates primis viis in-  
ducantur. *Non ventriculus solum*, inquit HVXHAM l. c. Tom.  
II. pag. 109. *sed totus intestinorum canalis sub febris initio*  
*euacuari debet.* Loquitur de contagiosis, purridis, & perechi-  
alibus, & docet in antecedentibus, ventriculum & primas vias

a con-

a contagiosa materia adfici. Verum febris dein ipsa vicem, vt  
ita dicam, contagii subit (§. antec.). Nonne itaque circa finem  
etiam febris primarum viarum canalis expurgandus erit, diar-  
rhoea siue spontanea, siue arte excitata? Quae cum ita sint,  
non poteris sane de diarrhoeae moderatae, in hoc febrium ex-  
anthematicarum stadio comparentis, salubritate dubitare. Lau-  
dat eiusmodi diarrhoeam ipse HVXHAM l. c. pag. 113. Pulcre  
de simili in morbillis diarrhoea loquitur de VIOLANTE loc. cit.  
§. XXVI. *Diarrhoea nulla, inquit, in malignis, aut epidemicis  
vere critica nuncupari meretur, nisi in fine morbi aduenit, quia  
haec omnes materiae reliquias extrudit, si tamen arte iuener-  
tur.* Laudat inter remedia alia, quae miliarium reliquias ex-  
stirpant, cathartica HAMILTON. Nonne diarrhoea moderata  
idem praeflaret? sed taedet plura argumenta aut testimonia ad-  
ferre; nemo enim nescit, cathartica leniora, quibus moderata  
diarrhoa semper substitui potest, superata febre ab optimis  
commendari Medicis. Verum enim vero quamuis moderata  
diarrhoea hoc in stadio conducat: profusa tamen maxime no-  
cet. Aegrum enim, morbo ipso acuto iam defatigatum, ma-  
gis debilitat eiusque vires frangit. Quantae vero hinc seque-  
lae? Notum est, eam post morbillos potissimum vrgere. Di-  
cit de hac SYDENHAMVS l. c. p. 121. *Vel morbum statim excipit, vel etiam ad plures septimanas excurrit, post morbi omni-  
umque eius symptomatum fugam; haud sine magno aegri dis-  
crimine, in quo, abbine orta spirituum profusione continua,  
versatur.* Refraenandam hanc esse, per se patet. In morbil-  
lis venaelectione eandem curauit SYDENHAMVS, cum eam ma-  
teriae inflammanti, ad intestina delatae, tribuat. In desicca-  
tis variolarum tempore obseruauit clar. TISSOT (l. c. pag. 37.)  
diarrhoeam cum lethali euentu, nisi Laudano cito dato compe-  
scatur. l. c. pag. 53.

## §. XVIII.

*Salus & noxa diarrhoeae in febribus exanthematicis ipso etiam excernendi modo determinatur.*

Quando criticae excretiones ex modo excernendi determinandae obueniunt, longe tunc plura momenta perpendi debent, quam a nobis attendi possunt, qui diarrhoeae tantum salutem & noxam in febribus exanthematicis diiudicare adnitimus. Non opus habemus loca excretionis, viarum apertio[n]em & alia plura, alias non omittenda, considerare. Quae de his forte dici possent, ex aliis huc & illuc allatis deduci possunt. Tria itaque hic pensitabimus tantum: *Sensationem nempe aegri, excretionis frequentiam & symptomata concomitantia diarrhoeam.* Primo de *sensatione aegri* dicendum. Notum est, excretionem aluinam esse voluntariam actionem, cuius homo, nisi mala forsitan consuetudine impediatur, naturaliter conscient est. Idem de diarrhoea valet. Quodsi nunc in febribus exanthematicis a morbo ipso deiectiones praeter voluntatem sineque sensu oriuntur: malum est. Nervos enim & cerebrum torpere, aut maxime adfici, ostendunt. Dixit HIPPOCRATES (Aphor. 33. Sect. II.): *In quovis morbo mente constare & bene se babere ad illa, quae offeruntur, bonum.* Malum ergo, ubi contrarium obseruatur. *Summum imminet* in febribus petechialibus *periculum, quando alii deiectiones, cuiuscunque sint coloris, sine sensu profluunt.* HVXHAM Tom. II. p. 97. Diarrhoea valde dolorifica non minus mala est. Indicat enim materiae summam acrimoniam, hinc inflammationem satis ancipitis eventus metuendam, atque id tunc potissimum, quando a deiectionibus non leuarur aeger, dolore potius magis magisque incrementante. Valebit sane de eiusmodi diarrhoea, quod de Dysenteria SYDENHAMVS dixit (l. c. pag. 109.): *Nonnunquam etiam intestina a magno illo incendio, quod excitauit materiae calidae*

dae - adfluxus copiosor, gangraena insanabili adficiuntur. Monet HVXHAMVS, purridam, in variolis, intestinorum canali diu inhaerentem materiam tandem adeo virulentam fieri, vt illum corrodat atque *peſſimam adferat diarrhoeam aut dysenteriam* (l. c. Tom. III. pag. 30.). Nonne vero haec insigni dolore adficiet aegrum? Bona iraque, vt ex his patet, diarrhoea, nisi aliud quid obſter, erit, quae haec tenus consideratis contraria est. Excretionis frequentia in hac consideratione non praetermittenda erit. Haec vel ita obuenit, vt notabilis ſimul materiae copia excernatur; vel frequens quidem ad excretionem oritur stimulus, parca tantum deiectione contingente; vel demum non adeo frequens nascitur deiectione, ac opus eſt. Primus caſus ex illis diiudicari potest, quae de quantitate §. XI. diſſerui. Terrius ex iisdem inclarescit. Secundus nobis tantum conſiderandus ſupererit. Quando autem contingit, tunc vel materia copiosa intestinis inhaeret, vel parca tantum illius quantitas. Si prius: diarrhoeae huius noxa ex nimis parcae danno (§. XI.) intelligitur. Quodſi autem posterius sit: materiam valde acrem esse & rodentem indicatur, quod procul dubio malum. Hinc parca & frequens deiectione in his morbis omnino male audit. Conf. LAVRENTII Tract. de Crisibus, pag. 277. Quod demum ſymptomata concomitantia attinet: haec fere iam ex iis intelliguntur, quae de ſenſu & excretionis frequentia dixi. Qui enim cum his diarrhoeae ſymptomata concomitantia conſert, is horum maxime notabilium prognofia exinde perſpiciet. Reliqua autem facile diiudicantur ex iis, quae alias de deiectionum ſalute nota ſunt.

## §. XIX.

*Salus & noxa diarrhoeae in febribus exanthematicis ex qualitate materiae diiudicantur.*

Nihil iuuaret diarrhoea, vel optime haec tenus conſidera-

tis salubritatis signis respondens, nisi congruas dotes materia ea excreta ostenderet. Nam quae prodeunt, praeeunte HIPPOCRATE, minime copia aestimanda sunt, sed ut, qualia expedit, prodeant. Necesse itaque est, ut ex *qualitate* etiam *materiae excretarum* salutem & noxam diarrhoeae, quam dicimus, determinemus. Illam vero considerantes, ad *odorem*, *confidentiam* & *colorem* respicere possumus. Sensibiles sunt qualitates istae, quae noua diarrhoeae salutaris aut nociae signa suppeditantur: a nobis ergo brevibus penitandae. *I. Odor.* Prout excrementorum foetor ab admixtibile & diurna requie pendet & hinc naturaliter obuenit: ita in febribus exanthematicarum diarrhoeis minime est malum, quando materia alii deiectionibus excreta graueolens est. Bonum porius hoc erit ut plurimum signum, dum vires digestionis integras validasque ostendit. Neque pro malo semper habendum, quando foetor reiectarum maior est, quam in statu naturali atque a febre exanthematica libero. Cruditates enim paullo diutius retentae, febrili calore & febris causa corruptae, non poterunt non magis etiam foetidae reddi. Quando autem insolita prorsus ratione excrementorum & diarrhoea reiectorum foetor excedit, malum erit. Hoc enim corruptionem summam aut fluidorum, aut materiae in intestinis contentae, indicat, a qua, in tanto bilis ad putredinem proclivis adfluxu, notabile imminet periculum. Eiusmodi ergo diarrhoea, qua adeo foetida reiciuntur, pro mala habenda. *Alius saniosa,* inquit HVXHAM de Pestis (l. cit. Tom. I. p. 245.), cruenta, aut valde aquosa, mala semper; — *buius autem foetor plerumque vel aniculis ministrantibus, imo & ipsis aegris plane intolerabilis.* Sic & clariss. TISSOT diarrhoeam foetidam inter mala habet signa (l. cit. p. 78.). Pertinere huc etiam videtur historia pueri quinque annorum variolosi, quam refert celeb. TRALLE, Epist. de Insit. variol. vel omitt. vel re-  
pud.

*pud.* pag. 14. 15. Decima die circa vesperam ingruebat alii fluxus, admodum, cum dolore, foetidus. Adhibebantur Rheum, Clyisma, Emulso amygdalarum, decoctum Hordei & cort. Peruu. denique Diascord. Fracaftorii Moriebatur vero XI. die.  
 II) *Consistentia.* Tenuitatem hic ac crassitatem consideramus. Temuatas eorum, quae sub diarrhoea in febribus exanthematicis reuiciuntur, nimia, vel ab aquoso sanguinis copiosius educto pendet, vel a putredine rarefaciente. Vtrumque malum. A quo si enim excretio nimia nocet (§. XI.), & rarefactio, a putredine pendens, ob damna a materia insinuiter putrida, intestinorum canali illatae, funestum praesagitat euentum. Quem enim fugit, quam cito oriatur solidorum, bilem continentium, putrefactio, si materia quaedam, notabili putredine infecta, ad ea feratur? *Circa illa loca,* inquit Perillustr. van SWIETEN (Comment. Tom. I. §. 84.), *vbi bilis haeret, cadauera omnium citissime corrumpuntur;* *hinc in morbis acutis cito in putredinem degenerans bilis tanta saepe facit mala.* Damnat hinc diectiones nimium liquidas & valde aquosas HVXHAM l. m. c. Consistentia ergo iusta eorum, quae in salutari febrium exanthematicarum diarrhoea reuiciuntur, tunc obtinebit, quando liquidiora equidem eliminantur, minime autem tenuitate nimia peccant. III) *Color.* Optimus excretorum color in febribus exanthematicis erit, qui vel nullius, vel non adeo magnae purredinis signa exhibet. Intelliget id quilibet, qui naturam febrium exanthematicarum, & cruditatum, in iisdem obuenientium, damna ponderat. Hinc diarrhoea, qua *faniosa, cruenta, viridia, livida & nigra* reuiciuntur, merito male audit (HVXHAM l. c. & Tom. II. pag. 97.). Atque hinc etiam sanguis, excrementis diarrhoea eliminatis admixtus, malum est signum (*de VIOLANTE de Variol.* §. LXXXIII. & HVXHAM Tom. II. pag. 96.). Datur, inquit TRALLEs, *in ultima morbi*

46 De Diarrhoeae in febribus exanthematicis

(febrium malignarum) periodo diarrhoea ichoroſa, ſuberventa, cadaverofa, a corruptione viſcerum, ſine ſenſu aegri adſigens, instantis mortis nuncia. Vid. Tr. de Vſu Opii ſalut. & noxio, Sect. II. pag. 188. Non omnis tamen color excrementorum actu adeo metuendus erit, quando malus videtur. Diuerſitas cruditatum diſſertat differentes colores inducit. Cauendum itaque, ne, omnibus nondum ponderatis, malum Medicus praefagiat euentum, atque deceptus aliis dein ſeſe deridendum praebeat. Tandem notandum eſt, minime ſemper conducere, quando excreta naturalem fluidorum colorem oſtentant. Tunc enim ſaepe ſaepius optima fluidorum pars excernitur, relictis cruditatibus, quae maxime vrgent. Bonum interim ſemper erit, quando bilis, colore ſuo naturali ſplendens, eliminatur. Quo magis vero haec a naturali ſuo colore recedit, eo maius morbi periculum metuendum erit.

SCHOLIVM. Saepe aliena quaedam ſub diarrhoea excernuntur in febribus exanthematicis, e. gr. Vermes. Tunc equidem hinc ad prognofin febrium exanthematicarum ſpectantia colligere poſſumus; haec vero ad nos mihi non multum pertinere videntur. In ſe ſpectata eiusmodi excretio minime erit dannanda. Nonne enim melius eft, ſi excernantur vermes, ac ſi remaneant? Malam interim fere ſemper formare debemus prognofin reſpectu febrium exanthematicarum. Vermium enim effectus folutioni benignae febrium exanthematicarum nimium repugnant. Cauē modo, ne tunc in eruenda prognosi aut vermium ſpecies, aut ſymptomata, aut ſtatutum aegri omittas.

§. XX.

Salus & noxa huius diarrhoeae ex cauſa, effectibus, & ſtatutis aegri diuidicantur.  
Paucis de his adhuc diſſerendum erit, quamuis multa in

in antecedentibus iam allata sint. Effectus ex sua causa, atque haec iterum ex suo effectu dimetitur. Nonne itaque salutem & noxam diarrhoeae, quam consideramus, ex causa & effectibus satis conuenienter diiudicabimus? Caussas vero huius diarrhoeae adumbrauimus §§. III. seqq. quarum itaque hic memores esse debemus. Diarrhoea, quae a totius fluidorum oceani inquinamento prouenit (§. III.), mala est. Licit enim partem veneni educat, maior tamen illius copia in corpore remanet, quam eliminare non potest. Quid ergo iuuabit? Ridiculum procul dubio foret, si quis, terris vbi cunque inundatis, a paucarum guttularum dissipatione omne effusum quasi mare exhaustum iri crederet. Verum is certe eadem ratione iudicaret, qui praedictam diarrhoeam ideo laudaret, quod veneni partem elicit. Egregie plane loquitur celeberr. TRALLES, dum purgantium in secunda variolarum confluentium febre limites ostendit: *Si nimius, inquit, illius colluniei (purulentæ) fuerit prouentus; si illa acrimonia caustica & septica peccet; si visceri alicui innidetur altius, eiusque vel erosionem, vel inflammationem, vel, quod peius est, gangraenam induxit, tunc manet haec dispositio in viscere laeso, etiamsi omne id purulentum, quod adhuc circulatur, possit eximi de corpore, & tamen necessitas moriendi adest.* Vid. Epist. de Method. med. Variol. bat. Genus cogn. §. 16. pag. 88. At in eo casu ne eximetur quidem, dum viuit aeger, ea puris copia, quae sanguinem vbiique inundat. Laesio ergo visceris, pus relictum putre-scens, aegrum necent. Quae porro a natura veneni, ad primas vias moti, diarrhoea oritur (§. IV.): ea, nisi aliunde dammandâ sit, bona est. Nam veneni partem emouet. Hinc audiuius, SYDENHAMVM diarrhoeam in variolis infantum confluentibus minime refrænandum esse praecipere.

Quae

48      *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis*

Quae deinde a metastasi prouenit diarrhoea (§. V.), ea salutaris modo erit, modo damnoſa. Quando metastasis ita ori-  
tur, vt aliud immedicabile determinetur visceris vitium, tunc  
accedens diarrhoea nihil emolumenti praestabit; abripiet  
aeger. Quando vero nihil eiusmodi determinatur; quando  
cito absque malo effectu eiicitur materia peccans, oborta  
conueniente diarrhoea: bona tunc haec erit ac salutaris.  
Sed plura iam hac de re locuti sumus §. XIV. & paſſim.  
Diarrhoea a cruditatibus enata (§. VI.) ex pluribus huius  
tractationis locis ſufficienter diiudicari potest, v. g. §§. XII.  
XIII. ſeqq. Ea denique, quae a diſpoſitione generatur (§.  
VI.), ad hanc vel illam ſpeciem reduci poterit, cuius ſalu-  
tem & noxam euicimus. Praeter cauſas diarrhoeae, eius et-  
iam effectus perpendi debent. Laudauit HIPPOCRATES ex-  
cretiones, quae aegrum leuant, quasque facile fert. Nonne  
haec ad praefentem in febre exanthematica diarrhoeam  
adplicare poſſimus? Malus effectus de mala cauſa, vt bo-  
nus effectus de bona cauſa, refertur. Nihil ergo magis diar-  
rhoeae in his morbis ostendit ſalutem, quam aegri leuamen  
abinde perceptum. Nihil clarior illius noxam, quam ſtatus  
morbi magis in deteriora ruens. Hinc tandem & ſtatus aegri  
confiderandus eft. Non ſolum enim exinde quantitatem,  
tempus & qualitatem diarrhoeae diiudicamus; ſed huius et-  
iam cauſas & effectus. Praeterea aegri conditio iudicium  
de diarrhoea latum firmat, emendat, & ſigna ſalutis diarrhoeae  
eiusque noxae clariora reddit.

§. XXI.

*Epilogus.*

Dum omnia, quae haec tenus dixi, mecum perpendo;  
dum conſidero momenta, ad quae in ſalute & noxa excretio-  
num

num determinandis respicere possumus: nihil occurrit, quod a me esset omissum. Specialiorem dictorum adapplicationem nemo a me desiderabit, qui scriptionum academicarum limites nouit, atque exempla, quibus quamlibet fere propositionem firmaui, aequus respicere dignatur. In his suppeditandis plurima a variolosa febre desumsi, morbo non strage magis hominum, quos ad inferos mittit, quam disceptationibus de eo mortis, claro facto, atque in quo, prae reliquis, a diarrhoea maxima est exspectanda salus. Neque mirabitur quis, me ad argumenta eorum, qui omnem in febribus exanthematicis diarrhoeam & nociam & pestiferam iudicant, non respondisse. Consulto haec omisi. Alte enim radicatae opiniones non facile extirpantur, atque video praeterea, hanc materiam ab aliis iam esse pertractatam, quorsum eleganter Praefationem potissimum refero, quam clariss. Vir, qui *Ricb. MEAD Tract. de Variol. & Morbill. latine reddidit*, huic operi prefixit. Practica plura his subnectere superfluum esse duxi. Casus enim supprimendarum aut promouendarum in febribus exanthematicis diarrhoearum sponte ex prioribus innescunt. Remedia vero ad hoc vel illud adimplendum necessaria, passim attuli. Suaderem in supprimenda diarrhoea, ex consilio celeberrimorum Medicorum, quos diuturna exercuit praxis, obuoluentia, discurrentia, clysteres emollientes, calorem moderatum, diaphoretica leniora, Rhabarbarina, haustus potulentri aquosi calidi frequentiores, corticem Peruvianum, opiate correcta, quandoque V.Snm. Forstian non incongruum foret, experiri, quid bolus valeat Armena? Commendat eam maxime in diarrhoea febrium acutarum symptomatica experientissimus HASENOEHRL, in *Histor. med. trium morborum*, Vienn. 1761. p. 45. seq. atque cum Syr. Diacod. & aqua flor. Papau. rhoead. commiscet, in iecto de die aliquoties enemate emolliente, obuolente & so-

ORIV

G

piente.

50 *De Diarrhoeae in febribus exanthematicis &c.*

piente. Nonnunquam, suadentibus HVXHAMO & aliis, Rheum adstringentibus praemitti debet, ut securior impetretur effe-  
c tus. In altero casu medicamentis fere non opus est; nonnun-  
quam tamen leniora laxantia, qualia sunt mannata potissimum, indicantur. Conducit quoque ea hic obseruare, quae respe-  
ctu variolarum commendauit MEAD, usum nempe ciborum ex-  
cretionem aluinam promouentium suadens. Laudanda etiam  
erunt remedia obuoluentia tenuiora, atque clysteres, quorum  
usus, ut alia commoda raceam, impedit, ne diarrhoea aut pro-  
fusa euadat, aut nimium langueat. Ceterum in fine huius  
opusculi adhuc moneo, specificam cuiuslibet miasmatis natu-  
ram, ut in omni febribus exanthematicarum consideratione, ita  
in hac quoque, quae circa diarrhoeas harum febrium versatur,  
penitari debere. Pro maiori minoriue veneni subtilitate ma-  
ius aut minus, celerius aut tardius, lethale aut minus lethale  
malum prouocabit diarrhoea male eiusmodi febri accedens.  
Quid? quod, quo subtilius est venenum, eo facilius quoque  
non adeo in se damnoosa diarrhoea pestifera euadere potest.  
Vnde sequitur, aluum immorigeram, nisi vrgeat, non adeo  
tunc reformatandam esse. Practico vero cauendum est, ne in  
exhibendis catharticis nimis sit liberalis. Natura haud raro  
melius suis rebus consulit, quam ars, quae saepe  
faepius quadrata rotundis miscere  
soleret.

T A N T V M .

VIRO

V I R O  
 PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE  
**IOANN. IAC. BENDIXEN,**  
 SVPREMOS IN MEDICINA HONORES  
 CAPESSENTI

S. D. P.

IO. NIC. WEISSE R, OPPON.

Iam, Amicorum optime, cum in eo es, ut summos in Medicina honores, dignissima virtutis atque doctrinæ TVAE præmia, ab illustri Medicorum Ordine vñanimi TIBI consensu concessos, reportaturus sis, non possum, quin magnopere laeter meamque, quam inde capio, lactitiam atque voluptatem per litteras hasce significem, meque iis adiungam, qui de splendida Doctoris dignitate, mox in TE conferenda, applaudunt TIBI atque gratulantur. Gratulor itaque TIBI huncce honorem, pereiximiae TVAE diligentiae comitem, & ex intimo cordis affectu gratulor. Numen supremum ac benignissimum precatus, vt, quod rebus TVIS prosperum hucusque concessit euenterum, iis etiam in posterum successum largiatur omni ex parte secundum, efficiatque vt fara TVA TVIS respondeant meritis & in aeternum vigeant florentque. Felicissimis sub auspiciis redux abi in patriam, ibique in eius ornamentum, multorum aegrotantium auxilium atque solamen, TVORVM denique gaudium atque splendorem vitam viue iucundissimam longissimamque. De me vero TIBI persuadeas velim, nullum, quod ab homine TVI studiofissimo amantisimo potest exspectari, aut officii genus aut studii, me esse praetermissurum. Vale meque, quod facis ama. Dab. in Alma Fredericana, III. Iduum Octobris MDCCCLXV.

V I R O

VIRO  
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE,  
**CANDIDATO**  
HONORVM DOCTORALIVM DIGNISSIMO,  
AMICO OPTIMO,

S. P. D.

I. M. MACKEPRANG,  
HOLSATO - DANVS. OPPON.

Ingratus, tvaque Amicitia indignus videri possem, si festiuum  
hunc diem absque publica aliqua gaudii mei significatione pre-  
termittam. Non sunt dies aliquot; non unus est annus, ex quo  
mihi licuit te inter amicos numerare. A teneris enim iam vin-  
guiculis inter nos arctissimum intercessit amicitiae vinculum, cui san-  
guinis coniunctio accedit, quodque consuetudo, quae mihi semper  
tecum fuit iucundissima, sustentavit. Quid igitur, quod non offi-  
cii sit, facio, si tibi non tantum de edito profectuum tvorum spe-  
cimine egregio, sed etiam de promerita dignitate Doctorali, mox  
tibi publice conferenda, gratulor. Gratulor vero non solum tibi,  
sed gratulor etiam aegrotantibus de Medico bonaे spei; gratulor  
Medicis de socio solertissimo ac eruditissimo; gratulor Patriae no-  
straе de ciue praestantissimo; gratulor familiae tuae splendidissi-  
mae de cognato, familiae ornamento; gratulor denique mihi de  
vero & sincero amico. Quem ut te etiam absens praestes, etiam  
atque etiam rogo. Vale, & crede, nihil mihi fore gratius, quam si  
ita me diligere pergas, vt te ego semper amabo. Dab,

Hal. die XIV. Octobr. MDCCCLXV.



01 A 6530



101860172







TIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**ARRHOEAE**  
**VS EXANTHEMATICIS**  
**LUTE ET NOXA**

QVAM  
VINI NVMINIS AVSPICHS  
ET  
RATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
PRAESIDE  
XCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**A ELIA BUCHNERO**

ROMANI IMPERII NOBILI,  
PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
PHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
RE ET H. T. DECANO, REGIOR. ALVMN. EPHORO,  
CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
IM SCIENTIARVM, ANGLICANAЕ, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

**ADV DOCTORIS**  
MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
ORALIBVS RITE CONSEQUENDIS  
CTOBRIES, A. R. S. C. I. O. C. L. X. V.  
MA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

**AVCTOR**  
**IACOBVS BENDIXEN**

VNDERA - SLESVICENSIS.

VRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.